FLAVII AVIANI
FABULAE

AD MS. CD. COLLATAE.

ACCEDUNT

VARIAE LECTIONES

IN

OVIDII REMEDIUM AMORIS,

THEODULI ECLOGAM ET

CATONIS DISTICHA,

CURANTE

JO. AD. NODELL,

QUI NOTAS CRITICAS IN SCRIPTORES ALIQUOT VETERES ADJECIT.





AMSTELODAMI,

APUD PETRUM DEN HENGST,

CIↃ IↃ CCLXXXVII.

Quid est igitur, quod me impediat, ea, quae mihi probabilia videantur, sequi; quae contra, improbare; modo affirmandi arrogantiam vitans fugiam temeritatem.

Cicero *de Off.* II, 2.

NATALIBUS. ET. HONORIBUS

I N C L Y T O

AMISFURTANORUM. PRAETORI

CAETERO. QUE. AMPLISSIMO

REIP. EIUS. SENATUI

QUI. QUE. EORUM. TABULAS. CURAT

I CONSULTISSIMO. VIRO

LIBELLUM. HUNC

MULTORUM. MAGNORUM. QUE

BENEFICIORUM. MEMOR

SACRUM. FACIT

JOAN. ADAM. NODELL.

LECTURO S.

Quem ante hos ſex annos dedi Obſervationum Criticarum libellum, quum haud ita male exceptum viderem ab harum rerum peritis, non mediocriter excitabar ad pergendum in hoc ſtadio; ſuccedebatque, ut mihi quidem blandiebar, res ſic ſatis feliciter. conjecturae erant non diu poſt ad manum ſat multae, quarum, delectu habito, communicare cum Eruditis nonnullas, geſtiebat animus; quum, ecce, negare Typographi, huiusmodi ſe quisquilias quas nemo emeret, ablegandas plerumque

In vicum vendentem thus & odores,

praelo ſubjecturos; ipſius SCHRADERI *hoc in Genere ſcripta vix nummo addici in auctionibus; nec meliore fato uti Adverſaria* HEINSII; *&c. iidem tamen benigne ſatis ſuam mihi pollicebantur operam, ſi Scriptorem aliquem veterem, commentario inſtructum, in vulgus vellem edere. Excutiebant eodem tempore vetuſtas aliquot Reip.* Campenſis *tabulas, quorum Ipſis incumbit cura, Duumviri praeſtantiſſimi* DE MIST & RAMBONNET, *quos honoris & amicitiae cauſſa nomino; quod dum agunt, incidunt forte fortuna in ſparſas quasdam membranas, quae Latino ſermone ſcriptae & antiquae videbantur, illasque, ut erant, laceras ad me deferendas curant. Non coelum quidem manibus tetigiſſe, aut Diis ſimillimum me putabam, quod in noto ſatis libro* MENCKENIUS *ait Eruditis contingere, quum in Codicem quemdam veteri manu exaratum inciderint, laetabar tamen; collectae enim reliquiae codicem faciebant membranaceum formae, quam vocant, quartae, continebantque praeter* Catonis *diſticha ac* Theoduli

Eclogam, Aviani *Fabulas &* Ovidii *Remedium Amoris, additis fere Scholiis, notatumque erat ad calcem, ſcriptum eſſe Anno S. MCCCXXXIX. Illa cum editis conferre quum coepiſſem, non nihil fructus inde percipere poſſe praecipue* Avianum, *videbam ſtatim, & eo quidem plus, quod, ignotum hunc Codicem Editoribus fuiſſe hactenus, apparebat. Correctas igitur ad MS. hunc Cd.* Aviani *Fabulas ſi edendas ſuſciperem, non male putabam collocaturum me operam, praecipue ſi & ipſius* CANNEGIETERI *&* WOPKENSII *ex Obſervationibus Miſcellaneis, ac* WITHOFII *aliorumque in hunc ſcriptorem Obſervata ſimul colligerem. Et jam ineditas quasdam* WOPKENSII *ſchedas humaniſſime offerebat Cl.* ARNTZENIUS, *non levem profecto ornatum parandae editioni. Sed ante omnia id agendum videbam, ut ſi quas haberet defuncti Patris in* Avianum *notas MSS.* H. CANNEGIETERUS, *illas peterem a Viro Cl., easque eo minus impetraturum me diffidebam, quo maicre ſemper benevolentia me proſequitur Vir harum litterarum peritiſſimus. Illum igitur per epiſtolam adii, ſed ſucceſſu parum felice; ſupremam enim Parentis voluntatem obſtare reſpondebat* CANNEGIETERUS, *quo minus petitioni meae ſatis fieret, quippe ex qua, ſi ederentur unquam MSS. Defuncti ſchedae, ab alio nemine, quam ab ipſo Filio, deberent edi; addebatque ſimul Vir humaniſſimus, ſi poſtularetur nova Fabularum editio, libenter ſuſcepturum ſe hanc curam, & exornaturum illam ineditis & defuncti Patris &* NICOLAI *inſuper* HEINSII *conjecturis. Hinc abjecto, quod primum ceperam, conſilio, omnes illas* WOPKENSII *caeterorumque Obſervationes futuro Editori arbitrabar relinquendas, edendumque nihil aliud, niſi* Avianum *ipſum, variasque in illum Lectiones ex* Campenſi *codice.*

Quare illud acturus per Nobilissimum, mihique amicissimum Baronem ab HEMERT, *Reip.* Campensis *Consulem, libri usum a Civitatis eius* MAGISTRATIBUS *ausus sum petere; neque* ILLI, *quum jam huc commigrassem, ne ad me deferretur codex, prohibuerunt; quo nomine, ut multis aliis, quantum debere me sentiam & Amplissimo* SENATUI, *& Nobilissimo in primis* HEMERTO, *necesse non videtur, ut ambitiose hic praedicem. —— Collatas mox Fabulas, ac Lectiones simul varias in eos, quos dixi, Scriptores Typographo obtuli, ea lege, ut Observationum seu Notarum Criticarum ad calcem adderetur libellus. Et haec quidem hactenus, ne quis exiguo adeo ornatu instructum miretur Avianum, quem ideo tantum a me edi, ut, quibus solis prodire non licebat, comite eo Criticae hae Notae prodirent in lucem, ex illis, quae dixi, potest intelligi. Caeterum expressi Cl.* CANNEGIETERI *editionem, ubi vero mutandum quid videbatur, ratio eius rei in subjectis notulis est reddita, praeterquam in nonnullorum Orthographia.*

Ad Notas Criticas (quibus & alia quaedam, pro concesso in hoc genere scribendi libertate, admixta sunt) quod adtinet, monendum nihil habeo, nisi hoc solum, scientem me laedere voluisse neminem, neminis item scrinia compilasse, fieri tamen posse, ut ab aliis jam observata in his reperiantur, praecipue quum consulendi multa, quae consulere cupiebam, mihi defuerit copia; licet, quod non sine grati animi significatione hic addo, Professores vicini, in primis BONDAM *&* TYDEMAN *V. V. C. C., suppeditarint plurima. Quare si qua reperiantur occupata ab aliis, suis illa auctoribus adscribantur; quae minus*

arrideant, humano more congruoque his litteris confutentur, & erranti comiter monstretur via; emendetur denique, si quid a Typothetis peccatum fuerit; quod (quamquam egregiam in corrigendo operam praestitit J. F. LENTZ, *cognatus amicissimus) quum diversa in urbe Typographus versetur & ego, factum forsan, quam vellem, frequentius. Vale, Lector, meamque de litteris bene merendi voluntatem boni consule.*

Scribebam Amisfurti A. D. XIV Octob.

CIƆIƆCCLXXXVII.

P. 148. l. 5. pro Aen. 17. scribe Aen. 11.

INDEX FABULARUM.

AVI-

FLAVII AVIANI
PRAEFATIO.
AVIANUS THEODOSIO.

Dubitanti mihi, Theodosi optime, quonam litterarum titulo nostri nominis memoriam mandaremus, fabularum textus occurrit: quod in his urbane concepta falsitas deceat, & non incumbat necessitas veritatis. Nam quis tecum de oratione, quis de poemate loqueretur? Quum in utroque litterarum genere & Atticos Graeca eruditione superes, & Latinitate Romanos? Hujus ergo materiae ducem nobis Aesopum noveris, qui responso Delphici Apollinis monitus ridicula orsus est, ut legenda firmaret. Verum has pro exemplo fabulas & Socrates divinis operibus indidit, & poemati suo Flaccus aptavit; quod in se, sub jocorum communium specie, vitae argumenta contineant: quas Graecis iambis Babrius repetens in duo volumina coartavit. Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libellos resolvit. De his ergo ad quadraginta & duas in unum redactas fabulas edidi: quas rudi Latinitate compositas elegis sum explicare conatus. Habes ergo

opus, quo animum oblectes, ingenium exerceas, sollicitudines leves, totumque vivendi ordinem cautus agnoscas. Loqui vero arbores, feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres, animalia ridere fecimus; ut pro singulorum necessitatibus vel ab ipsis animis sententia proferatur.



FLAVII AVIANI FABULAE.



FABULA I.

Ruſtica & Lupus.

Ruſtica deflenti parvo juraverat olim,
Ni taceat, rabido quod foret eſca lupo.
Credulus hanc vocem Lupus audiit, & manet ipſas
Pervigil ante fores, irrita vota gerens.
Nam laſſata puer nimiae dat membra quieti,
Spem quoque raptori ſuſtulit inde fames.
Hunc ubi ſilvarum repetentem luſtra ſuarum
Jejunum conjux ſenſit adeſſe lupa:
Cur, inquit, nullam refers de more rapinam,
Languida conſumtis ſed trahis ora genis?
Ne mireris, ait, deceptum fraude maligna
Vix miſerum vacua delituiſſe fuga.
Nam quae praeda, rogo, quae ſpes contingere poſſet,
Jurgia nutricis quum mihi verba darent?
Haec ſibi dicta putet, ſeque hac ſciat arte notari,
Femineam quiſquis credidit eſſe fidem.

FABULA II.

Aquila & Teſtudo.

Pennatis avibus quondam Teſtudo loquuta eſt;
Si quis eam volucrem conſtituiſſet humi;

Protinus e rubris conchas proferret arenis,
Quîs pretium nitido cortice bacca daret.
Indignans ſibimet, tardo quod ſedula greſſu
Nil ageret, toto perficeretque die.
Aſt ubi promiſſis Aquilam fallacibus implet,
Experta eſt ſimilem perfida lingua fidem.
Et male mercatis dum quaerit ſidera pennis,
Occidit infelix alitis ungue fero,
Tum quoque ſublimis, quum jam moreretur, in auras
Ingemuit, votis haec licuiſſe ſuis.
Atque ait: exoſae poſthaec documenta quietis
Non ſine ſupremo magna labore peti.
Sic, quicumque nova ſublatus laude tumeſcit,
Dat merito poenas, dum meliora cupit.

FABULA III.

Cancer & Mater.

Curva retrocedens quum fert veſtigia Cancer,
Hiſpida ſaxoſis terga reliſit aquis
Hunc genitrix facili cupiens procedere greſſu,
Talibus alloquiis praemonuiſſe datur.
Ne tibi tranſverſo placeant haec devia, nate,
Rurſus in obliquos neu velis ire pedes.
Sed niſu contenta ferens veſtigia recto,
Innocuos proſo tramite ſiſte gradus.
Cui natus; Faciam, ſi me praeceſſeris, inquit,
Rectaque monſtrantem certior ipſe ſequar.

Nam stultum nimis est, quum tu pravissima tentes,
Alterius censor ut vitiosa notes.

FABULA IV.

Boreas & Sol.

Immitis Boreas, placidusque ad sidera Phoebus,
Jurgia cum magno conseruere Jove,
Quis prior inceptum peragat: mediumque per orbem
Carpebat solitum forte viator iter.
Convenit hanc potius liti praefigere caussam,
Pallia nudato decutienda viro.
Protinus impulsus ventis circumtonat aether,
Et gelidus nimias depluit imber aquas.
Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
Turbida summotos qua trahit aura sinus.
Sed tenues radios paulatim increscere Phoebus
Jusserat, ut nimio surgeret igne jubar.
Donec, lassa volens requiescere membra, viator
Deposita fessus veste resedit humi.
Tunc victor docuit praesentia Numina Titan,
Nullum praemissis vincere posse minis.

FABULA V.

Rusticus & Asinus.

Metiri se quemque decet, propriisque juvari
Laudibus, alterius nec bona ferre sibi,

Ne detracta gravem faciant miracula riſum,
Coeperit in ſolitis quum remeare malis.

Exuvias Aſinus Gaetuli forte leonis
Repperit, & ſpoliis induit ora novis.
Aptavitque ſuis incongrua tegmina membris,
Et miſerum tanto preſſit honore caput.
Aſt ubi terribilis animo circumſtitit horror,
Pigraque praeſumtus venit in oſſa vigor;
Mitibus ille feris communia pabula calcans,
Turbabat pavidas per ſua rura boves.
Ruſticus hunc magna poſtquam deprendit ab aure,
Correptum vinclis verberibuſque domat.
Et ſimul abſtracto denudans corpora tergo,
Increpat his miſerum vocibus ille pecus.
Forſitan ignotos mutato tegmine fallas,
At mihi, qui quondam, ſemper aſellus eris.

FABULA VI.

Rana & Vulpis.

Edita gurgitibus, olimque immerſa profundo,
Et luteis tantum ſemper amica vadis,
Ad ſuperos colles, herboſaque prata recurrens,
Mulcebat miſeras turgida Rana feras.
Callida quod poſſet gravibus ſuccurrere morbis,
Et vitam ingenio continuare ſuo.
Nec ſe Paeonio jactat ceſſiſſe magiſtro,
Quamvis perpetuos curet in orbe Deos.

Tunc Vulpes pecudum ridens astuta quietem,
Verborum vacuam prodidit esse fidem.
Haec dabit aegrotis, inquit, medicamina membris,
Pallida caeruleus cui notat ora color.
Ne sibimet quisquam de rebus inaniter ullis,
Quas nequit, imponat, fabula nostra docet.

FABULA VII.

Canis.

Haud facile est pravis innatum mentibus, ut se
Muneribus dignas suppliciove putent.
Forte Canis quondam nullis latratibus horrens,
Nec patulis primum rictibus ora trahens,
Mollia sed pavidae submittens verbera caudae,
Concitus audaci vulnera dente dabat.
Hunc dominus, ne quem probitas simulata lateret,
Jusserat in rabido gutture ferre nolam.
Faucibus innexis crepitantia subligat aera,
Quae facili motu signa cavenda darent.
Haec tamen ille sibi credebat praemia ferri,
Et similem turbam despiciebat ovans.
Tunc insultantem senior de plebe superbum
Adgreditur, tali singula voce monens.
Infelix! quae tanta rapit dementia sensus,
Munera pro meritis si cupis ista dari.
Non hoc virtutis decus ostentatur in aere,
Nequitiae testem sed geris inde sonum.

FABULA VIII.

Camelus.

Contentum propriis ſapientem vivere rebus,
Nec cupere alterius, fabula noſtra monet.
Indignata cito, ne ſtet Fortuna, recurſu
Atque eadem minuat, quae dedit ante, rota.
Corporis immenſi fertur pecus iſſe per auras,
Et magnum precibus ſollicitaſſe Jovem.
Turpe nimis cunctis irridendumque videri:
Inſignes geminis cornibus ire boves;
Et ſolum nulla munitum parte Camelum,
Objectum cunctis expoſitumque feris.
Jupiter adridens, poſtquam ſperata negavit,
Inſuper & magnae ſuſtulit auris onus.
Vive minor merito, cui ſors non ſufficit, inquit,
Et tua perpetuum, livide, damna geme.

FABULA IX.

Viatores.

Montibus ignotis, curviſque in vallibus artum
Cum ſocio quidam ſuſcipiebat iter.
Securus quodcumque malum fortuna tuliſſet,
Robore collato poſſet uterque pati.
Dumque per inceptum vario ſermone feruntur,
In medium praeceps convenit urſa viam,

Horum alter, facili comprendens robora curſu,
In viridi trepidum fronde pependit onus.
Ille trahens nullo jacuit veſtigia greſſu,
Exanimem fingens, ſponte reliſus humi.
Continuo praedam cupiens fera ſaeva cucurrit,
Et miſerum curvis unguibus ante levat.
Verum ubi concreto riguerunt membra timore,
(Nam ſolitus mentis liquerat oſſa calor.)
Tunc olidum credens, quamvis jejuna, cadaver
Deſerit, & luſtris conditur urſa ſuis
Sed quum ſecuri paulatim in verba rediſſent,
Liberior juſto, qui fuit ante fugax;
Dic, ſodes, quidnam trepido tibi rettulit urſa?
Nam ſecreta diu, multaque verba dedit.
Multa quidem monuit, tamen haec quoque maxima juſſit,
Quae miſero ſemper ſunt facienda mihi.
Ne facile alterius repetas conſortia, dixit,
Rurſus ab inſana ne capiare fera.

FABULA X.

Eques.

Calvus Eques capiti ſolitus religare capillos,
Atque alias nudo vertice ferre comas;
Ad campum nitidis venit conſpectus in armis,
Et facilem fraenis flectere coepit equum.
Hujus ab adverſo Boreae ſpiramina perflant,
Ridiculum populo conſpiciente caput.

Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Discolor apposita quae fuit ante coma.
Ille sagax, tantis quum risus millibus esset,
Distulit admota calliditate jocum.
Quid? mirum positos, referens, fugisse capillos,
Quem prius aequaevae deseruere comae?
Ridiculo cuiquam quum sis, absolvere temet
Opposita veri cum ratione stude.

FABULA XI.

Olla aerea & lutea.

Arripiens geminas ripis cedentibus ollas,
Insanis pariter flumen agebat aquis.
Sed diversa duas ars & natura creavit,
Aere prior fusa est, altera ficta luto.
Dispar erat fragili & solidae concordia motus,
Incertumque vagus amnis habebat iter.
Ne tamen allisam confringeret aerea testam
Jurabat: solitam longius ire viam.
Illa timens (*ne quid levibus graviora nocerent,*
Et quia nulla brevi est cum meliore fides.)
Quamvis securam verbis me feceris, inquit,
Non timor ex animo discutiendus erit.
Nam me sive tibi, seu te mihi conferat unda,
Semper ero ambobus subdita sola malis.
Pauperior caveat sese sociare potenti,
Namque fides illi cum parili melior.

FABULA XII.

Ruſticus, qui theſaurum invenerat.

Ruſticus impreſſo molitus vomere terram,
　Theſaurum ſulcis proſiluiſſe videt.
Mox indigna animo properante relinquit aratra,
　Semina compellens ad meliora boves.
Continuo ſupplex Telluri conſtruit aras,
　Quae ſibi depoſitas ſponte dediſſet opes.
Hunc Fortuna novis gaudentem provida rebus
　Admonet, indignam ſe quoque ture dolens.
Nunc inventa meis non prodis munera templis,
　Atque alios mavis participare Deos.
Sed quum ſubrepto fueris triſtiſſimus auro,
　Me primam lacrimis ſollicitabis inops.
Non me ridenti, ſed triſti cernere vultu
　Fas erit, & vacua ſint tibi vota tua.
Unius accepto peccat grave quiſque talento,
　Si quod ab hoc ſumſit imputat hoc alii.

FABULA XIII.

Taurus & Hircus.

Immenſum Taurus fugeret quum forte Leonem,
　Tutaque deſertis quaereret antra jugis.
Speluncam reperit, quam tunc hirſutus habebat,
　Cinyphii ductor qui ſolet eſſe gregis.

Aſt ubi ſubmiſſa meditantem irrumpere fronte
Obvius obliquo terruit ore caper;
Triſtis abit, longaque fugax de valle loquutus
(Nam timor expulſum jurgia ferre vetat)
Non te demiſſis ſaetoſum, putide, barbis,
Illum, qui ſupereſt conſequiturque, tremo.
Nam ſi diſcedat, noſces, ſtultiſſime, quantum
Diſcrepet a tauri viribus hircus olens.
Dum cupis illatum tibimet par ſolvere damnum,
Abſque tuo damno hocce caveto fore.

FABULA XIV.

Simia & Jupiter.

Jupiter in toto quondam quaeſiverat orbe,
Munera natorum qui meliora daret.
Certatim ad regem currit genus omne ferarum,
Permixtumque homini cogitur ire pecus.
Sed nec ſquamigeri deſunt ad jurgia piſces,
Vel quidquid volucrum purior aura vehit.
Inter quos trepidae ducebant pignora matres,
Judicio tanti diſcutienda Dei.
Tunc brevis informem traheret quum Simia natum,
Ipſum etiam in riſum compulit ire Jovem.
Haec tamen ante alias rupit turpiſſima vocem,
Dum generis crimen ſic abolere cupit.
Jupiter hoc norit, maneat victoria ſi quem,
Judicio ſupereſt omnibus iſte meo.

Ergo mos homini eſt, quidquid ſibi fecerit ipſe,
Vile licet maneat, comprobat ipſe tamen.
Nolo velis rerum quidquam laudare tuarum,
Alterius niſi ſunt ore probata prius.

FABULA XV.

Grus & Pavo.

Threiciam volucrem fertur Junonius ales
Communi ſociam continuaſſe cibo.
Namque inter varias fuerat diſcordia formas,
Magnaque de facili jurgia lite trahunt:
Quod ſibi multimodo fulgerent membra decore,
Caeruleam facerent livida terga gruem.
Et ſimul erectae circumdans tegmina caudae
Sparſerat arcanum rurſus in aſtra jubar.
Illa licet nullo pennarum certet honore,
His tamen inſultans vocibus uſa datur.
Quamvis innumerus plumas variaverit ordo,
Merſus humi ſemper florida terga geris.
Aſt ego deformi ſublimis in aëra penna,
Proxima ſideribus numinibuſque, feror.
Si quadam virtute nites, ne deſpice quemquam,
Ex alia quadam forſan & ipſe nitet.

FABULA XVI.

Quercus & Arundo.

Montibus e ſummis radicitus eruta Quercus
Decidit, inſani turbine victa noti.
Quam tumidis ſubter decurrens alveus undis
Suſcipit, & fluvio praecipitante rapit.
Verum ubi diverſis impellitur ardua ripis,
In fragiles calamos grande reſedit onus.
Tunc, ſic exiguo connectens ceſpite ramos,
Miratur liquidis quod ſtet Arundo vadis.
Se quoque tam vaſto necdum conſiſtere trunco,
Aſt illam tenui cortice ferre minas.
Stridula mox blando reſpondet Canna ſuſurro,
Seque magis tutam debilitate docet.
Tu rabidos, inquit, ventos, ſaevaſque procellas
Deſpicis, & totis viribus acta ruis.
Aſt ego ſurgentes paulatim demoror auſtros,
Et quamvis levibus provida cedo notis.
In tua praeruptus offendit robora nimbus,
Motibus aura meis ludificata perit.
Haec nos dicta monent magnis obſiſtere fruſtra,
Paullatimque truces exſuperare minas.

FABULA XVII.

Venator & Tigris.

Venator, jaculis haud irrita vulnera torquens,
Turbabat rapidas per ſua luſtra feras.
Tum pavidis audax cupiens ſuccurrere Tigris
Verbere commotas juſſit adeſſe minas.
Ille tamen ſolito contorquens tela lacerto,
Nunc tibi, qualis eram, nuntius iſte refert.
Et ſimul emiſſo transjecit viſcera ferro,
Perſtrinxitque citos haſta cruenta pedes.
Molliter adfixum traheret quum ſaucia telum,
A trepida fertur vulpe retenta diu.
Dum rogat unde foret, qui talia vulnera ferret,
Aut ubinam jaculum delituiſſet agens!
Illa gemens, fractoque loqui vix murmure coepit;
Nam ſolitas voces ira dolorque rapit.
Nulla quidem medio convenit in aggere forma,
Quaeque oculis olim ſit repetenda meis.
Sed cruor, & validis in me contorta lacertis
Oſtendunt aliquem tela fuiſſe virum.
Bruta licet ſoleant animalia jure timeri,
Omnibus eſt illis plus metuendus homo.

FABULA XVIII.

Juvenci & Leo.

Quatuor immenſis quondam per prata juvencis
Fertur amicitiae tanta fuiſſe fides:
Ut ſimul emiſſos nullus divelleret error,
Rurſus & e paſtu turba rediret amans.
Hos quoque collatis inter ſe cornibus ingens
Dicitur in ſilvis pertimuiſſe Leo.
Dum metus oblatam prohibet tentare rapinam,
Et conjuratos horret adire boves.
Et quamvis audax, factisque immanior eſſet,
Tantorum ſolus viribus impar erat.
Protinus adgreditur pravis inſiſtere verbis,
Colliſum cupiens diſſociare pecus.
Et poſtquam dictis animos disjunxit acerbis,
Invaſit miſerum diripuitque gregem.
Tunc quidam ex illis: vitam ſervare quietam
Qui cupit, ex noſtra diſcere morte poteſt.
Nemo cito admotas verbis fallacibus aures
Impleat, aut veterem deſerat ante fidem.

FABULA XIX.

Abies & Dumus.

Horrentes Dumos Abies pulcherrima riſit,
Quum facerent formae jurgia magna ſuae.

Indignum referens cunctis certamen haberi,
Quos meritis nullus conſociaret honos.
Nam mihi deductum ſurgens in nubila corpus,
Verticis erectas tollit in aſtra comas.
Puppibus in mediis, mediaque in ſede locamur,
In me ſuſpenſos explicat aura ſinus.
At tibi deformem quod dant ſpineta figuram,
Deſpectum cuncti praeteriere viri.
Ille refert: nunc laeta quidem bona ſola fateris,
Et noſtris frueris imperioſa malis,
Sed quum pulchra minax ſuccidet membra ſecuris,
Quam velles ſpinas tunc habuiſſe meas.
Nemo ſuae carnis nimium laetetur honore,
Ne vilis factus poſt ſua damna gemat.

FABULA XX.

Piſcator & Piſcis.

Piſcator ſolitus praedam deprendere ſaeta,
Exigui piſcis vile trahebat onus.
Sed poſtquam ſuperas captum perduxit ad auras,
Atque avido fixum vulnus ab ore tulit.
Parce, precor, ſupplex lacrimis ite dixit obortis,
Nam quanta ex noſtro corpore lucra feres!
Nunc me ſaxoſis genetrix fecunda ſub antris
Fudit, & in propriis ludere juſſit aquis.
Tolle minas, tenerumque tuis ſine creſcere menſis,
Haec tibi me rurſum littoris ora dabit.

Protinus immenſi depaſtus caerula ponti,
Pinguior ad calamum ſponte recurro tuum.
Ille nefas captum referens abſolvere piſcem,
Difficiles queritur caſibus eſſe vices.
Nam miſerum eſt, inquit, praeſentem amittere praedam,
Stultius & rurſum vota futura ſequi.
Incerta pro ſpe non munera certa relinque,
Ne rurſus quaeras forte, nec invenias.

FABULA XXI.

Ruſticus & Avis.

Parvula progeniem terrae mandaverat Ales,
Qua ſtabat viridi ceſpite flava ſeges.
Ruſticus hanc fragili cupiens decerpere culmo,
Vicinam ſupplex forte petebat opem.
Sed vox implumes turbavit credula nidos,
Suaſerat & laribus continuare fugam.
Cautior hos remeans prohibet diſcedere mater:
Nam, quid ab externis proficietur? ait.
Ille iterum caris operam mandavit amicis.
At genetrix rurſum tutior inde manet.
Sed poſtquam curvas dominum comprendere falces,
Frugibus & veram ſenſit adeſſe manum,
Nunc, ait, o miſeri, dilecta relinquite rura,
Quum ſpem de propriis viribus ille petit.

FABULA XXII.

Invidus & Cupidus.

Jupiter ambiguas hominum praediſcere mentes
Ad terras Phoebum miſit ab arce poli.
Tunc duo diverſis poſcebant numina votis.
Namque alter cupidus, invidus alter erat.
His ſeſe medium Titan, ſcrutatus utrumque,
Obtulit, & precibus ut peteretur, ait,
Praeſtabit facilis: nam quae ſperaverit unus,
Protinus haec alter congeminata feret.
Sed cui longa jecur nequeat ſatiare cupido,
Diſtulit admotas in nova damna preces.
Spem ſibi confidens alieno creſcere voto,
Seque ratus ſolum munera ferre duo.
Ille ubi captantem ſocium ſua praemia vidit,
Supplicium proprii corporis optat ovans.
Nam petit exſtinctus ut lumine degeret uno,
Alter ut, hoc duplicans, vivat utroque carens.
Tunc ſortem ſapiens humanam riſit Apollo,
Invidiaeque malum retulit inde Jovi.
Quae dum proventis aliorum gaudet iniquis,
Laetior infelix & ſua damma cupit.

FABULA XXIII.

Statuarius

Venditor inſignem referens de marmore Bacchum
Expoſitum pretio fecerat eſſe Deum.

Nobilis hunc quidam funeſta in ſede ſepulcri
Mercari cupiens compoſiturus erat.
Alter odoratis ut ferret munera templis,
Redderet & ſacro debita vota loco.
Nunc, ait, ambiguum facies de mercibus omen,
Quum ſpes in pretium munera diſpar agit.
Et me defunctis, ſeu malis tradere Divis,
Sive decus buſti, ſeu velis eſſe Deum.
Subdita namque tibi eſt fati reverentia magni,
Atque eadem retines funera noſtra manu.
Convenit hoc illis, quibus eſt permiſſa poteſtas,
An prodeſſe aliis vel nocuiſſe velint.

FABULA XXIV.

Venator & Leo.

Certamen longa protractum lite gerebant
Venator quondam, nobilis atque Leo.
Hi quum perpetuum cuperent in jurgia finem,
Edita continuo forte ſepulcra vident.
Illic docta manus flectentem colla leonem
Fecerat in gremio procubuiſſe viri.
Scilicet affirmans pictura teſte ſuperbum
Se fieri: exſtinctam nam docet eſſe feram.
Ille graves oculos ad inania ſigna retorquens
Infremit, & rabido pectore verba dedit.
Irrita te generis ſubiit fiducia veſtri,
Artificis teſtem ſi cupis eſſe manum.

Quod ſi noſtra novum caperet ſollertia ſenſum,
Sculperet ut docili pollice ſaxa leo:
Tunc hominem adſpiceres oppreſſum murmure ſolo,
Conderet ut rabidis ultima fata genis.

F A B U L A XXV.

Puer & Fur.

Flens Puer extremam putei conſedit ad undam,
Vana ſupervacuis rictibus ora trahens.
Callidus hunc lacrimis poſtquam Fur vidit obortis,
Quaenam triſtitiae ſit modo cauſſa, rogat.
Ille ſibi abrupti fingens diſcrimina funis,
Atque auri queritur deſiluiſſe cadum.
Nec mora; ſollicitam traxit manus improba veſtem;
Exutus putei protinus ima petit.
Parvulus exiguo circumdans pallia collo,
Sentibus immerſus delituiſſe datur.
Sed poſt fallaci ſuſcepta pericula voto
Triſtior, amiſſa veſte reſedit humi.
Dicitur his ſollers vocem rupiſſe querelis,
Et gemitu ſummos ſollicitaſſe Deos.
Perdita, quiſquis erit, poſthac ſibi pallia credat,
Qui putat in liquidis quod natat urna vadis.
Nemo nimis cupide ſic res deſideret ullas,
Ne, plus quum cupiat, perdat & id, quod habet.

FABULA XXVI.

Leo & Capella.

Viderat excelſa paſcentem rupe Capellam,
Comminus eſuriens quum Leo ferret iter.
Et prior, Heus, inquit, praeruptis ardua ſaxis
Linque, nec hirſutis paſcua quaere jugis.
Sed cytiſi croceum per prata virentia florem,
Et glaucas ſalices & thyma grata pete.
Illa gemens, Deſiſte, precor, fallaciter, inquit,
Securam placidis ſollicitare dolis.
Vera licet moneas & magna pericula: tollas
Tu tamen. His dictis non facis eſſe fidem.
Nam quamvis rectis conſtet ſententia verbis,
Suſpectam hanc rabidus conſiliator habet.
Ne citius blandis cujusquam credito dictis,
Sed ſi ſint fidi, reſpice quid moneant.

FABULA XXVII.

Cornix & Urna.

Ingentem ſitiens Cornix adſpexerat Urnam,
Quae minimam fundo continuiſſet aquam.
Hanc eniſa diu planis effundere campis.
Scilicet ut nimiam pelleret inde ſitim.
Poſtquam nulla viam virtus dedit, admovet omnes
Indignata nova calliditate dolos.

Nam brevis immerſis accreſcens ſponte lapillis
Potandi facilem praebuit unda viam.
Viribus haec docuit quam ſit prudentia maior,
Qua coeptum volucris explicuiſſet opus.

FABULA XXVIII.

Ruſticus & Juvencus.

Vincla recuſanti, dedignantique juvenco
Aſpera mordaci ſubdere colla jugo,
Ruſticus obliqua ſuccidens cornua falce,
Credidit inſanum deſremuiſſe pecus.
Cautus & immenſo cervicem inneƈtit aratro:
(Namque erat hic cornu promtior atque pede.)
Scilicet ut longus prohiberet verbera temo,
Neve iƈtus faciles ungula ſaeva daret.
Sed poſtquam irato detraƈtans vincula collo
Immeritam vacua calce fatigat humum.
Continuo everſam pedibus diſpergit arenam,
Quam ferus in Domini ora ſequentis agit.
Tunc ſic informi ſqualentes pulvere crines
Diſcutiens, imo peƈtore viƈtus ait:
Nimirum exemplum naturae deerat iniquae,
Qua fieri poſſes cum ratione nocens.

FABULA XXIX.

Satyrus & Viator.

Horrida congeſtis quum ſtaret bruma pruinis,
Vinctaque durato ſtringeret arva gelu;
Haeſit in adverſa nimborum mole Viator,
Perdita nam prohibet ſemita ferre gradum.
Hunc nemorum cuſtos fertur miſeratus in antro
Exceptum Satyrus continuiſſe ſuo.
Quem ſimul adſpiciens ruris miratur alumnus,
Vimque homini tantam protinus eſſe pavet.
Nam gelidos artus vitae ut revocaret in uſum,
Afflatas calido ſolverat ore manus.
Sed quum depulſo coepiſſet frigore laetus
Hoſpitis eximia ſedulitate frui.
(Namque ille agreſtem cupiens oſtendere vitam,
Silvarum referens optima quaeque dabat.
Obtulit & calido plenum cratera Lyaeo,
Laxet ut infuſus frigida membra tepor.)
Ille ubi ferventem labris contingere teſtam
Horruit, algenti rurſus ab ore tulit.
Obſtupuit duplici monſtro perterritus hoſpes,
Et pulſum ſilvis longius ire jubet.
Nolo, ait, ut noſtris unquam ſucceſſerit antris,
Tam diverſa duo qui ſimul ore ferat.
Qui bene colloquitur coram, ſed poſtea prave,
Hic erit inviſus bina quod ora gerat.

FABULA XXX.

Villicus & Dominus.

Vastantem segetes & pinguia culta ruentem
Liquerat abscisa Rusticus aure suem.
Ut memor accepti referens monumenta doloris
Ulterius teneris parceret ille satis.
Rursus in excepti deprensus crimine campi
Perdidit indultae perfidus auris onus.
Nec mora; praedictae segeti caput intulit horrens,
Poena sed indignum congeminata facit.
Tunc Domini captum mensis dedit ille superbis,
In varias epulas plurima frusta secans.
Sed quum consumti Dominus cor quaereret apri,
Impatiens fertur cor rapuisse coquus.
Rusticus hoc justam verbo compescuit iram,
Affirmans stultum non habuisse suem.
Nam cur membrorum demens in damna redisset,
Atque uno totiens posset ab hoste capi?
Haec illos praecepta monent, qui saepius ausi
Nunquam peccatis abstinuere manus.

FABULA XXXI.

Mus & Bos.

Ingentem fertur Mus quondam pauper oberrans
Ausus ab exiguo laedere dente Bovem.

Verum ubi mordaci confecit vulnera roſtro,
Rurſus in amfractus conditur inde ſuos.
Ille licet vaſta torvum cervice minetur,
Non tamen iratus, quem petat, eſſe videt.
Tunc indignantem juſto ſermone fatigans,
Diſtulit hoſtiles calliditate minas.
Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes,
Viribus effectum conſtituere tuis.
Diſce tamen, brevibus quae ſibi fiducia monſtris,
Ut facias, quidquid parvula turba cupit.

FABULA XXXII.

Ruſticus & Hercules.

Haerentem luteo ſub gurgite Ruſticus axem
Liquerat, & nexos ad juga curva boves.
Fruſtra diſpoſitis confidens Numina votis
Ferre ſuis rebus, quum reſideret, opem.
Cui rector ſummis Tirynthius infit ab aſtris,
Nam vocat hunc ſupplex in ſua vota Deum.
Perge laborantes ſtimulis agitare juvencos,
Et manibus pigras diſce juvare rotas.
Tunc quoque congreſſum, maioraque viribus auſum
Fas Superos animis conciliare tuis.
Diſce tamen pigris non flecti Numina votis,
Praeſentesque adhibe, quum facis ipſe, Deos.

FABULA XXXIII.

Anſer & Ruſticus.

Anſer erat cuidam pretioſo germine feta,
Ovaque quae nidis aurea ſaepe daret.
Fixerat hanc volucri legem Natura ſuperbae,
Ne liceat pariter munera ferre duo.
Sed Dominus, cupidum ſperans vaneſcere votum,
Non tulit exoſas in ſua lucra moras.
Grande ratus pretium volucris de morte referre,
Quae tam continuo munere dives erat.
Poſtquam nuda minax egit per viſcera ferrum,
Et vacuam ſolitis fetibus eſſe videt:
Ingemuit tantae deceptus crimine fraudis,
Nam poenam meritis retulit inde ſuis.
Sic, qui cuncta Deos uno male tempore poſcunt,
Juſtius his etiam vota diurna negant.

FABULA XXXIV.

Formica & Cicada.

Quiſquis torpentem paſſus tranſire juventam,
Nec timuit vitae providus ante mala.
Confectus ſenio, poſtquam gravis adfuit aetas,
Heu fruſtra alterius ſaepe rogabit opem.
Solibus ereptos hiemi Formica labores
Diſtulit, & brevibus condidit ante cavis.

Verum ubi candentes ſuſcepit terra pruinas,
Arvaque ſub rigido delituere gelu:
Pigra nimis tantos non aequans corpore nimbos
In propriis Laribus humida grana legit.
Decolor hanc precibus ſupplex alimenta rogabat,
Quae quondam querulo ruperat arva ſono.
Se quoque, maturas quum tunderet area meſſes,
Cantibus aeſtivos explicuiſſe dies.
Parvula tunc ridens ſic eſt affata Cicadam,
(Nam vitam pariter continuare ſolent)
En quoniam ſummo ſubſtantia parta labore eſt,
Frigoribus mediis otia longa traho.
At tibi ſaltandi nunc ultima tempora reſtant,
Cantibus eſt quoniam vita peracta prior.

FABULA XXXV.

Simia & Nati.

Fama eſt, quod geminum profundens Simia partum
Dividit in varias pignora bina vices.
Namque unum caro genetrix educit amore,
Alteriusque odiis exſaturata tumet.
Coeperit ut fetam gravior terrere tumultus,
Diſſimili natos conditione rapit,
Dilectum manibus vel pectore geſtat amico,
Contemtum dorſo ſuſcipiente levat.
Sed quum laſſatis nequeat conſiſtere plantis,
Oppoſitum fugiens ſponte remittit onus.

Alter at hirſuto circumdans bracchia collo
Haeret, & invita cum genetrice fugit.
Mox quoque dilecti ſuccedit in oſcula fratris,
Servatus vetulis unicus haeres avis.
Sic multos neglecta juvant, atque ordine verſo
Spes humiles rurſus in meliora refert.

FABULA XXXVI.

Vitulus & Bos.

Pulcher & intacta Vitulus cervice reſultans
Scindentem aſſidue viderat arva Bovem.
Non pudet, Heus, inquit, longaevo vincula collo
Ferre, nec expoſitis otia noſſe jugis?
Quum mihi ſubjectas pateat decurſus in herbas,
Et nemorum liceat rurſus opaca ſequi.
At ſenior, nullam verbis compulſus in iram,
Vertebat ſolitam vomere feſſus humum.
Donec depoſito per prata liceret aratro
Molliter herboſo procubuiſſe toro.
Mox vitulum ſacris innexum reſpicit aris
Admotum cultro comminus ire prope.
Hanc tibi triſtis, ait, dedit indulgentia mortem,
Expertem noſtri quae facit eſſe jugi.
Proderit ergo graves quamvis tolerare labores,
Otia quam tenerum mox peritura pati.
Eſt hominum ſors iſta, magis felicibus ut ſit
Mors cita, quum miſeros vita diurna regat.

FABULA XXXVII.

Canis & Leo.

Pinguior exhauſto Canis occurriſſe Leoni
Fertur & inſertis verba dediſſe jocis.
Nonne vides, duplici tendantur ut ilia tergo,
Luxurietque toris nobile pectus? ait.
Proximus humanis ducor poſt otia menſis,
Communem capiens largius ore cibum.
Nec quod craſſa nocet circumdat guttura ferrum,
Ne cuſtodita fas ſit abire domo.
At tu magna diu moribundus luſtra pererras,
Donec ſe ſilvis obvia praeda ferat.
Perge igitur noſtris tua ſubdere colla catenis,
Sic liceat faciles promeruiſſe dapes.
Protinus ille gravem gemitu collectus in iram,
Atque ferox animi nobile murmur agit.
Vade, ait, & meritis nodum cervicibus infer,
Compeſcantque tuam vincula dira famem.
At mea quum vacuis libertas redditur antris,
Quamvis jejunus, quae libet, arva peto.
Has illis epulas potius laudare memento,
Qui libertatem poſtpoſuere gulae.

FABULA XXXVIII.

Piſcis fluviatilis & marinus.

Dulcibus e ſtagnis fluvio torrente coactus
Aequoreas praeceps piſcis obibat aquas.
Illic ſquamigerum deſpectans improbus agmen
Eximium ſeſe nobilitate refert.
Non tulit expulſum patrio ſub gurgite Phoca,
Verbaque cum ſalibus aſperiora dedit.
Vana laboratis aufer mendacia dictis,
Quaeque refutari te quoque teſte queant.
Nam quis erit potior, populo ſpectante probabo;
Si pariter captos humida lina trahant.
Tunc me nobilior magno mercabitur emtor,
Te ſimul aere brevi debile vulgus emet.
Quisquis ab externis nuper devenerit oris,
Non decet indigenis ut velit eſſe prior.

FABULA XXXIX.

Miles & Lituus.

Voverat attritus quondam per praelia Miles
Omnia ſuppoſitis ignibus arma dare.
Vel quae victori moriens ſibi turba dediſſet,
Vel quidquid profugo poſſet ab hoſte capi.
Interea votis ſors adfuit, & memor arma
Coeperat accenſo ſingula ferre rogo.

Tunc Lituus rauco defendens murmure culpam
Immeritum flammis ſe docet eſſe prius.
Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos,
Viribus affirmes quae tamen acta meis.
Sed tantum ventis & cantibus arma coegi,
Haec quoque ſubmiſſo teſtor & aſtra ſono.
Ille, reſultantem flammis crepitantibus addens,
Nec te maior, ait, poena dolorque rapit.
Nam licet ipſe nihil poſſis tentare, nec auſus;
Saevior hoc, alios quod facis eſſe malos.

FABULA XL.

Vulpes & Pardus.

Diſtinctus maculis & pulchro corpore Pardus
Inter conſimiles ibat in arva feras;
Sed quia nulla graves variarent terga leones,
Protinus his miſerum credidit eſſe genus.
Cetera ſordenti damnans animalia vultu
Solus in exemplum nobilitatis erat.
Hunc arguta novo gaudentem Vulpis amictu
Corripit, & vanas approbat eſſe notas.
Vade, ait, & pictae nimium confide iuventae,
Dum mihi conſilium pulchrius eſſe queat.
Miremurque magis, quos munera mentis adornant,
Quam qui corporeis enituere bonis.

FABULA XLI.

Imber & Teſta.

Impulſus ventis & preſſa nube coactus
Ruperat hibernis ſe gravis imber aquis.
Quumque per effuſas ſtagnaret turbine terras,
Expoſitum campis fictile preſſit opus.
(Mobile namque tutum tepidus prius inſtruit aër,
Diſcat ut admoto rectius igne coqui.)
Tunc Nimbus fragilis perquirit nomina teſtae:
Immemor illa ſui, Amphora dicor, ait.
Nam me docta manus, rapiente volumina gyro,
Molliter obliquum juſſit habere latus.
Hactenus hac, inquit, liceat conſtare figura:
Jam te ſubjectam diluet imber aquis.
Et ſimul accepto violentius amne fatiſcens
Pronior in tenues victa cucurrit aquas.
Infelix, quae tanta ſibi cognomina ſumens
Auſa pharetratis Imbribus iſta loqui.
Haec poterunt poſthac miſeros exempla monere,
Subdita nobilibus ut ſua fata gemant.

FABULA XLII.

Lupus & Haedus.

Forte Lupum melior curſu deluſerat Haedus,
Proxima vicinis dum petit arva caſis.

Inde fugam recto tendens in moenia curſu
Inter lanigeros conſtitit ille greges.
Impiger hunc raptor mediamque ſequutus in urbem
Tentat compoſitis ſollicitare dolis.
Nonne vides, inquit, cunctis ut victima templis
Immerita pecudum morte cruentet humum.
Quod niſi ſecuro valeas te reddere campo,
Hei mihi! vittata tu quoque fronte cadis.
Ille refert: modo, quam metuis, precor, exſue curam,
Et tecum viles, improbe, tolle minas.
Nam ſat erit ſacrum Divis fudiſſe cruorem,
Quam rabido fauces exſaturare Lupo.
Sic quoties duplici ſubeuntur triſtia caſu,
Expedit inſignem promeruiſſe necem.



VARIAE LECTIONES
IN
FLAVII AVIANI
FABULAS.

VARIAE LECTIONES
IN
FLAVII AVIANI
FABULAS,

EXCERPTAE EX COD. CAMPENSI COLLATO AD ED. CL. CANNEGIETERI.

++++++++++++++++++++++++++++++++++++++

Deest praefatio, neque invenitur in calce libri, ubi in nonnullis reperiri ait Cl. *Cannegieterus.*

FABULA I.

vs. 2. *rapido.* vs. 5. *nimie.* Sed sic ubique, ubi diphthongus erat scribendus, quod semel monuisse sufficiat. vs. 8. *sentit.* vs. 9. *desers.* vs. 13. *possit.* vs. 15. *seque sciat hac.*

FABULA II.

vs. 2. *destituisset.* vs. 10. *decidit.* vs. 11. *tunc.* vs. 13. *nam dedit* —— *quieti.* vs. 14. *peto.*

FABULA III.

vs. 2. *relixit.* Cl. *Cannegieteri* conjecturam *tergora laesit* firmat commutatio similis apud *Propert.* II, 20, 6. Ubi v. *Burm.* V. C. vs. 6. *ne.* vs. 7. *contempta.* vs. 8. *prono* — *pedes.*

FABULA IV.

vs. 2. *Deo.* vs. 4. *solutum.* vs. 6. *discutienda.* vs. 7. *circumsonat.* vs. 8. *depulit.* vs. 9. *lateri duplicem.* vs. 11. *crescere.* vs. 12. *calor* sed supra scriptum *jubar.* vs. 14. *recedit.*

FABULA V.

vs. 3. *destracta.* vs. 4. *suis.* vs. 12. *per sua lustra feras.* vs. 13. *postquam magna.* vs. 15. *pectora.* vs. 17. *nomine fallis.*

FABULA VI.

vs. 4. *pavidas* sed supra scripto *miseras.* vs. 13. 14. *Ne sibimet quisquam promittat inaniter illud, Quod nequit inpleri, nostra fabella monet.*

FABULA VII.

vs. 1. *ignatum.* vs. 6. *conscius.* vs. 8. *rapido.* vs. 11. *munera —— dari*, sed correctum *ferri.* vs. 13. *hunc.*

FABULA VIII.

vs. 2. *nostra fabella.* vs. 3. *recessu.* vs. 10. *feris — cunctis.* vs. 11. *irridens.* vs. 13. *meritis.* vs. 14. *perpetue.*

FABULA IX.

vs. 1. *curvis in.* vs. 5. *medio sermone.* vs. 10. *recedit humi.* vs. 17. *redisset.* vs. 21. *magna — dixit.*

FABULA X.

vs. 11. *referens positos.* vs. 14. *apposita.* vs. 15. 16. *Sic quicumque modo nova se hac sciat arte notari, Arte magis studeat quam prohibere minis.*

FABULA XI.

vs. 1. *eripiens.* vs. 4. *facta.* vs. 6. *annis agebat.* vs. 10. *brevi cum.* Ob impeditam constructionem, aliasque rationes vs. 10. cum parte noni spuriorum loco habet Cl. *Canneg.* fors tamen ferri possunt, si scribatur,

Illa timens, ne quid levibus graviora nocerent,
(*Est* quia nulla brevi cum meliore fides.)

FABULA XII.

vs. 1. *mollitus.* v. 2. *tesaurum.* vs. 7. *nevit.* vs. 8. *dolet.* vs. 10. *adque.* vs. 13. *ridente vultu sed cernere trifti.* vs. 14. *ut.* vs. 16. *quid.*

FABULA XIII.

vs. 2. *jugis*, quod in fubjecta gloffa explicatur *viis*, ut habet Ed. *Canneg.* Quare quum τὸ *jugis*, in Palatino etiam Cd. inveniffe fe fcribat *Neveletus*, probetque *Cannegieterus* illud recipiendum cenfui. vs. 4. *cinifey.* vs. 5. *Hunc ubi.* vs. 7. *locutus eft.* vs. 8. *expulfi.* vs. 9 *demiffis fetoffi — barbis.* vs. 12. *difcrepat.* vs. 14. *forte.*

FABULA XIV.

vs. 1. *quaeſierat.* vs. 9. *hunc.* vs. 11. *haec.* vs. 15. *hic mos eft hominis.* vs. 16. *approbat.* vs. 18. *ni fint alterius.*

FABULA XV.

vs. 1. *Trayciam.* vs. 5. *fulgebant.* vs. 11. *innumeras.* vs. 15. *difpice*, unde *defpice* dedimus, fic poftulante fententia. vs. 16. *forfitan.*

FABULA XVI.

vs. 6. *recedit.* vs. 8. *quo ftet*, vs 11. *refpondet*, quod, ob meliorem temporum convenientiam, recipiendum judicavi. Vulg. *refpondit.*

FABULA XVII.

vs. 2. *pavidas.* vs. 3. *tunc.* vs. 4. *abeffe.* fed correctum eadem manu *ad.* vs. 7. *emiffum transfegffit.vifcera ferrum.* vs. 11. *quis ferus ille foret*, quod admitti poteft, fi probetur *Barthii* conjectura vs. 10. fcribentis *rogata*, quae arridebat *Withofio* V. C. *Encaen. Crit.* p. 255. vs. 17. *in me contorta lacertis*, quod, quum verum videretur, edendum curavi. V. Ovid. M. VIII, 345. & H. III, 125. conf. *Withof.* p.

254. qui tamen compositum *contorquere* hac in re respuere non debebat. vs. 19. *cuncta timeri.* ad finem alia manu adscripta leguntur haec, *More volant jaculi clandestina verba nocentum, Nec praestare palam laederis unde potes.*

FABULA XVIII.

vs. 3. *evelleret.* vs. 4. *ad pastum* — *ovans.* vs. 9. *sed quamvis.* vs. 10. *taurorum.* vs. 11. *obsistere.* vs. 12. *collectum.* vs. 13. *sed.* vs. 17. *Nemo cito.* quo modo edidi, quum ἐπιμύθια ista, ab aliis addita, per se absolvere soleant sententiam. vs. 18 *desinat.*

FABULA XIX.

vs. 3. *cunctis referens.* vs. 4. *ullis.* vs. 6. *ereptas.* supra scripto *e.* vs. 7. *puppibus in mediis, mediaque in sede locamur.* quod vulgato, *puppibus in patulis media cum sede locamur*, longe longeque elegantius nemo non judicabit. vs. 9. *cui dant spinata.* vs. 15. *nimio.* vs. 16. *sua facta. sua* non potui non recipere.

FABULA XX.

vs. 1. *suspendere.* v. 6. *damna feres.* v. 10. *nam tibi.* vs. 12. *redibo.* vs. 15. *miserum inquit.* vs. 16. *vota diurna.* vs. 17 & 18. desunt.

FABULA XXI.

vs. 10. *tutior rursum.* vs. 11. *deprendere.*

FABULA XXII.

vs. 2. *terram.* vs. 4. *namque unus.* vs. 7. *praestandi facilis quaecunque rogaverit* — deleto postea *cumque* & *nam* posito ante *quae.* In loco difficili lubens amplecterer Cl. *Cannegieteri* correctionem, scribentis, *precibus quod petar, istud, ait, Praestabo facilis.* nisi obstaret *Aviani* consuetudo *Catullianum* hunc morem non amantis. vs. 9. *nequit.* quod favet

conjecturae, *Canneg. nequiit* reponentis. vs. 10. *sua damna.* vs. 18. *retulit ille.* vs. 19. *qui.*

FABULA XXIII.

vs. 4. *expositurus.* vs. 6. *ut sacro.* vs. 10. *tradere templis.* forte vere. vs. 11. *subdita namque tibi est fati reverentia magni.* Quod, quum rectius videretur vulgato, *subdita nequitiae est magni reverentia fati*, licet *nequitiam* pro *avaritia* poni contendat Cl. *Cannegieterus*, non negligendum duxi. vs. 13. *commissa.* vs. 14. *prodesse magis an.*

FABULA XXIV.

vs. 2. *quidam.* vs. 7. *silicet.* vs. 10. *rapido.* vs. 15. *magno.* vs. 16. *rapidis.*

FABULA XXV.

vs. 6. *delituisse.* vs. 15. *post haec bene.* vs. 17. *desiderat.* vs. 18. *cum plus — perdat hic.*

FABULA XXVI.

vs. 5. *sitici.* vs. 6. *tima.* vs. 8. *sollicitare*, quod receptum pro vulgato *insimulare* nemo, opinor, non probabit, praesertim quum jam ita corrigendum conjecerit *Canneg.* neque omnino improbarit *Withof*, vs. 9. *maiora pericula*, forte vere, si distinguas,

Vera licet moneas, maiora pericula tollas
Tu tamen: his dictis non facis esse fidem.

Vel potius scribas cum Cl. *Withofio* p. 267.

V. l. m. maiora pericula tollas
Ni tamen, his &c.

vs. 11. *dictis* — *rectis.* vs. 12. *gravidus.* vs. 13, *Non nimium verbis cuiusquam credito blandis.* vs. 14. *fidei prospice quae.*

FABULA XXVII.

vs. 2. *nimium* — *continuasset.* v. 3. *enixa.* v. 4. *situm.*

FABULA XXVIII.

vs. 4. *perdomuisse.* vs. 5. *necbit.* vs. 10. *vacuo.* vs. 13. *scatentes informi.* vs. 15. *naturae deerat iniquae.* quemadmodum edidi, flagitante, ut videtur, sententia, nec nolente *Withofio* p. 271.

FABULA XXIX.

vs. 6. *continuasse* cum glossa *consociasse.* vs. 7. *quem simul adspexit ruris miratus.* vs. 8. *hominis.* vs. 13. *namque illi.* vs. 18. *ab ore sustat.* vs. 20. *expulsum.* vs. 21. *nolo ait vestris.* vs. 22. *duo diversa* — *gerit.* vs. 23. *proloquitur coram* &c.

FABULA XXX.

vs. 1. *pinguia rura.* vs. 4. *alterius.* vs. 17. *descripta monent.* vs. 18. *abstinuere malis.*

FABULA XXXI.

vs. 4. *conditur ille.* vs. 5. *vasta murem.* vs. 6. *quem petat ipse videt.* vs. 7. *fatiscens.* vs. 11. *brevibus* — *membris.* quod etiamsi verum puto, reponere tamen nolui, quum pro *monstris* acriter adeo pugnet Cl. *Cannegieterus* vs. 12. *Et facias quidquid parvula turba petit.* Unde recepi *facias* pro vulg. *faciat*, quod, quo referatur, habere non videtur. Additur distichon,

Si dives persona brevem maiorve potestas
Subdere vult sibimet, si nequid, ira tumet.

FABULA XXXII.

vs. 2. *Liquerat innexos.* vs. 3. *frustraque.* vs. 5. *inquit.* vs. 9. *tu quoque congressus.* vs. 10. *fac* — *consiliare.*

FABULA XXXIII.

vs. 1. *erat quondam.* vs. 2. *utraque cum.* vs. 5. *evanescere.* vs. 12. *pertulit.*

FABULA XXXIV.

vs. 2. *ante mala*, quomodo edendum curavi pro *fine*, quum ita in melioribus libris esse testetur *Cannegieterus*; qui eleganter inde *malae* scribendum conjicit. vs. 5. *ereptos*, ut edidi, quum in vulgato *obreptos* sensus sit nullus. vs. 6. *casis*, quod probare quis possit, quum *tectum* dixerit *Virg.* A. IV, 403. & mox *lares* ipse *Avianus*. sed v. Horat. I. Ep. 7, 33. vs. 10. *proprios*. vs. 11. *discolor his*. vs. 13. *aera*. vs. 17. *Est mihi nam*. vs. 18. *Otio longa*. vs. 19. *ast tibi saltanti*.

FABULA XXXV.

vs. 2. *pignora cara*. vs. 3. *eduxit*. vs. 4. *alterius odiit*. vs. 5. *ceperat*. vs. 6. *levat* adscripto *rapit*. vs. 11. *alter ab*. vs. 13. *successit*. vs 16. *humiles*.

FABULA XXXVI.

vs. 2. *fidentem*. vs. 3. *heu — longeno*. vs. 4. *occia nosce*. vs. 5. *decursus*, quod probandum duxi ob *subjectas herbas*. vs. 7. *Verbis sed senior nullam c. i. i.* vs. 12. *ire videt*. Sed vehementer laudo egregiam Cl. *Canneg.* & *Withofii* correctionem, *popae* scribentium. Eos vide. Nob. tamen *Heinsius* ad *Ovid.* M. XIII, 589. emendabat, *Admoto* & cultro comminus ire *popam*. vs. 17. *ut mors*. vs. 18. pro *regat terat* scribendum suspicor, idemque verbum reddendum *Rutilio*, It. I, 79. & fors Ovid. H. IX, 12.

FABULA XXXVII.

vs. 2. *incertis*. vs. 5. *protinus*. vs. 7. *sed quod crassa malum*. vs. 12. *dum liceat*. vs. 13. *compulsus in iram*. vs. 14. *animo —— ait*. vs. 15. *ait meritis*. vs. 16. *vincula dura*. vs. 17. *& mea*. Adduntur haec;

Nolo servire, volo liber quolibet ire,
Nam genus est penae sua subdere colla cathenae.

quae auctorem satis produnt.

FABULA XXXVIII.

vs. 1. *ſtangnis.* vs. 6. *verbaque ſalibus.* vs. 7. *laborantis.* vs. 9. *quis erit melior.* vs. 11. *mercabitur. aere.* vs. 13. *ſi quis.*

FABULA XXXIX.

vs. 9. *lacertis* ſupra ſcripto *o*. Praecedentem verſum bene, opinor, ſanavit Cl. *Canneg.* ſcribens, *indignum* flammis ſ'ſ d. e. *piis.* aliter tamen *Withof.* vs. 10. *affirmans.* vs. 12. *ab aſtra.* vs. 14. *nunc te.* vs. 15. *ipſe mihi.* vs. 16. extritum τὸ *quod*, ſeu quid aliud.

FABULA XL.

vs. 1. *pulchrò corpore*, quod non injuria me praetuliſſe vulgato *pectore* res ipſa, ni fallor, clamat. vs. 7. *gaudenten vulpes amictu.* V. praeter *Canneg.* ad Fab. XXXV, 14. *Caſaub.* & *Salmaſ.* ad *Spartian.* Peſc. Nig. c. 12. *Burm.* ad Anthol. T. II. p. 19. & *Withof.* Enc. p. 332. vs. 8. *varias.*

FABULA XLI.

vs. 2. *ybernis.* vs. 3. *ſtangnaret*, quod favere non nihil videri poteſt conjecturae *Canneg.* *regnaret* ſcribendum arbitrantis, idem quod *offuſas* corrigi juſſerit, recte feciſſe cenſendus eſt. vs. 7. *perquirens.* vs. 12. *nam te. nam* recepi cum *Withofio.* vs. 14. *protinus.* vs. 15. *tanta cognomina*, quod vulgato *magna* non putavi deterius. vs. 16. *nubibus.*

FABULA XLII.

vs. 3. *ad moenia.* vs. 4. *adſtitit.* vs. 5. *raptor tacituſque.* vs. 7. *cunctis inquit ut.* vs. 10. *victata.* vs. 14. *rapido.* vs. 15. *dantur triſtiſſima.*

EXPLICIUNT DOCUMENTA AVIANI POETAE.

VARIAE LECTIONES

IN

OVIDII REMEDIUM AMORIS,

THEODULI ECLOGAM

ET

CATONIS DISTICHA.

IN

OVIDII REMEDIUM AMORIS,

EXCERPTAE EX CD. CAMPENSI COLLATO AD ED. BURM.

✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱

Ex variis his lectionibus folas illas dare visum est, quas nullius apud *Burmannum* Cd. exhibet. —— Titulus est, *Ovidius de remedio amoris.*

Vs. 22. *funeris actor.* vs. 25. *non poteras.* vs. 26. *Et tua mortifero sanguine tela tuli.* vs. 29. *tuto quibus.* vs. 53. *propositum est.* vs. 79. *dum licet medici praecordia tangunt motus.* vs. 80. *limite.* vs. 88. *stat immensum.* vs. 93. *differ in auras.* vs. 99. *paraffes.* vs. 101. *quid fuerat primo.* vs. 116. *admoneo.* vs. 128. *vetat.* vs. 133. *accendis* —— *irritasque.* vs. 138. *cibique.* vs. 143. *finem qui.* vs. 147. *animi.* vs. 152. *castra troiae.* vs. 159. *Etholia.* vs. 169. *ruraque delectant.* vs. 177. *labentes jocunde.* vs. 186. *revelent.* vs. 190. *masta fiunt.* vs. 193. *deducere ortis.* vs. 195. *incisio.* vs. 202. *retia junges,* sed supra scriptum *tende.* vs. 205. *fastigatum.* vs. 209. *devorat.* vs. 214. *carpere longe vias,* emendatum tamen alia manu *perge.* vs. 227. *quamvis jejunus.* vs. 228. *oranti saepe negata mensa est.* vs. 236. *cingula stringit.* quod fortasse non negligendum possit videri. vs. 243. *non satis.* vs. 244. *sit igne[illegible] fine.* vs. 248. *creverit.* vs. 258. *a niveis.* vs. 270. *nec po[illegible].* vs. 274. *nam precor.* vs. 284. *futura tua est.* vs. 302. *sub titulo nostro.* vs. 305. *illa.* vs. 309. *posses.* vs. 310. *tamen* —— *desertus.* vs. 317. *quam mala dicebam nostrae sunt crura*

vs. 659. *modo juncti.* vs. 660. *arpias.* vs. 663. *lentica.* v. 664. *horrebant ferus.* vs. 672. *dampna magno.* vs. 673. *nos.* vs. 678. *nunc subeant mediis.* vs. 679. *non — cum sis.* vs. 680. *non.* vs. 681. *placeat.* vs. 684. *quemcunque.* vs. 686. *simus.* vs. 690. *ereduere.* vs. 698. *postulat illa.* vs. 703. *canam.* vs. 704. *Ut faveas ceptis.* vs. 712. *vincit.* vs. 713. *nec solum speciem.* vs. 715. *exiguum quodcumque.* vs. 718. *relicta monent.* vs. 722. *tu pavide.* vs. 727. *hic concubuit.* vs. 729. *recreatur*, quomodo & scribendum in *Heinsii* nota apud *Burmannum*, pro *revocatur.* vs. 735. *carfara.* vs. 750. *non tamen est tanti.* vs. 751. *at tanti tibi sit.* vs. 753. *citharaeque jocique lotique.* vs. 754. *bracchia nota.* vs. 758. *submoneo — esse.* vs. 759. *Choe.* vs. 762. *Tayda.* vs. 763. *titulli.* vs. 765. quis p. tuto *lecto discedere.* vs. 773. *Cretem.* vs. 775. *tunc.* vs. 776. *non poteras.* vs. 778. *hanc Philistino.* vs. 790. *addita.* vs. 792. *hostis abesse.* vs. 796. *& libicis.* vs. 797. *adveniat.* vs. 809. *nulla sit — aut tanta sit.* vs. 811. *date vela.* —— Haec subjecta reperiuntur, *Explicit Ovidius de remedio amoris, scriptus anno Domini* 1339 *feria tertia ante adscensionem Domini, in valle curia.*

Artem qui Veneris dederas, arti remederis.
Artem cum dederis tu tamen arte peris.
Sensum scriptoris servet Deus omnibus horis.

VARIAE LECTIONES

IN THEODULI

ECLOGAM.

Exhibet idem Codex Campensis *Theoduli Eclogam*, ab initio tamen ad vs. 120. pallidis adeo litteris, ut non sine magno oculorum incommodo possint legi. inde exciderunt aliquot plagulae, desuntque versus 112, a versu scilicet 120. ad versum 233. Hinc quae sequuntur contuli cum editione *Schwabiana*, vulgata *Altenburgi* A. 1773, enotavique illam lectionis varietatem, quam in nullo *Schwabianorum* codicum videbam reperiri. Ea haec est.

Vs. 241. *nescius.* vs. 247. *cessat.* vs. 253. *speciem.* vs. 275. *vexano.* vs. 288. *dilligii.* vs. 291. *si singula numina.* quod vulgato fors judicabitur concinnius. vs. 296. *cithiso.* vs. 299. *vixerint.* vs. 300. *finge.* vs. 302. *eurnga.* vs. 304. *conflingere.* unde nescio an scribendum *confingere.* vs. 306. *scitienti.* vs. 308. *exierint.* vs. 309. *advertit.* vs. 316. *finge dies cursum quia ne.* vs. 326. *Morpho calcantis.* vs. 334. *flete capella.* vs. 335. *fronesi.* vs. 337. *quod tendunt.* vs. 341. *Threicius.* v. *Heins.* ad *Ovid.* H. XIX, 26. vs. 344. *disperatio.* Caetera, quae post hunc versum exhibet *Schwabius* V. C., desiderantur.

VARIAE LECTIONES

IN

CATONIS DISTICHA.

Continentur denique eodem Codice Dionyſii Catonis, ut vocantur, diſticha, ſed partim vix legenda, partim etiam diſcerpta. Quae legi potuerunt, ea comparavi ad editionem *Arntzenianam*. Varietates vero ſequentes reperi.

L. II. Praef. vs. 5. *punica noſcere bella.* vs. 6. *praelia docet.* vs. 10. *deducitur.* D. III, 2. *metuis*, ut e conjectura dedit Cl. *Arntzen.* L. III. Praef. v. 2. *haec p. feret.* ultimi duo verſus, *commoda* &c. leguntur poſt primum diſtichon vs. 4. *neglexeris ipſum.* D. 2. deeſt D. III. vs. 2. *noſtri non eſt.* D. VIII, 1. *factum vel dictum.* D. X, 2. *amicus.* D. XVI, 1. *q. n. factum noli non recte ſilere.* D. XVII, 1. *rogato lege.* D. XVIII, 1. *q. pateris merito.* vs. 2. *ſit.* D. XXIV, 2. *nil velle.* D. XXV, 1. *non egra.* L. IV. D. IV, 1. *denarium.* vs. 2. *habere.* D. V, 1. *locuplex.* D. VI, 2. *imperium.* D. VII, 2. *in quibus.* D. XII, 2. *tu* deeſt. D. XIV, 2. *mortem.* D. XV, 2. *eſt* deeſt. D. XVI, 2. *quid tibi divitiae proſunt, ſi pauper abundas.* D. XVIII, 1. *irridere.* vs. 2. *nam quocunque ſene.* D. XIX. 1. *recedit.* D. XX, 2. *mores celat.* vs 1. *cuncta tacitus.* D. XXII, 2. *qui ſit.* D. XXVI, 1. *quae ſunt adverſa.* vs. 2. *rebus in.* hoc autem diſtichon ſequenti praeponitur. D. XXVIII, 2. *monſtrabit.* D. XXIX, 2. *eſt turpe nil.* D. XXX, 2. *quod lautum.* D. XXXI, 2. *quod flumen placidum forſan altius unda.* D. XXXIV. 1. *noli — prave.* D. XXXV, 2. *ſi te.* D. XXXVII, 2. *umbram.* D. XXXVIII. 2. *dum.* D. XLII, 1. *officio.* D. XLV. 1. *neglexeris ipſe.* D. XLVII, vs. 1. *quum conjux tibi ſit nec.*

vs. 2. *inimicus*. D. XLVIII, 2. *non velle doceri*. — Ad finem haec leguntur, alia tamen, ut videtur, manu fcripta.

Explicit hoc totum de vino da mihi potum.
Propere nafcitor pulchra puella.

Quibus fimilia vidimus ad *Ovidium*, deditque Cl. *Waffenberghius* in egregia differtatione nupera de *Tranfpofitione*.



I. A. N.

NOTAE CRITICAE

IN

SCRIPTORES VARIOS.

I. A. N.

NOTAE CRITICAE

IN

SCRIPTORES VARIOS.

CAPUT I.

HOMERICA. AESCHYLUS. ARCHILOCHUS. EURIPIDES. MUSAEUS. XENOPHON. LUCIANUS.

Notas Criticas in Auctores aliquot veteres fcripturi unde potius, quam ab ipfo elegantiarum omnium, omnifque venuftatis parente, *Homerum* dico, fumamus initium? modo ejus fint, quae hic tentabimus poëmatia. In Batrachomuomachia igitur, venufto carmine, a verfu inde 146 Phyfignathus, in Ranarum concilio fuam de perdendis Muribus fententiam explicans, inter alia & haec ait,

Σώματα κοσμήσαντες ἐν ὅπλοις σῶμεν ἅπαντες,
Ἄκροις πὰρ' χείλεσσιν, ὅπῃ κατάκρημνος ὁ χῶρος,
Ἡνίκα δ' ὁρμηθέντες ἐφ' ἡμέας ἐξέλθωσι,
Δραξάμενοι κορύθων, ὅστις σχεδὸν ἀντίος ἔλθοι,
Ἐς λίμνην ἈΥΤΟΥ͂Σ σὺν ἘΚΕΙ͂ΝΑΙΣ εὐθὺ βάλωμεν.
Οὕτω γὰρ πνίξαντες ἐν ὕδασι τοὺς ἀκολύμβους
Στήσομεν εὐθύμως τὸ μυοκτόνον ὧδε τρόπαιον.

Ex quibus apparet, fuafiffe eum commilitonibus, ut projectos in aquam Mures, nandi videlicet imperitos, fuffocarent. Non nihil tamen venuftiorem fore locum

existimo, si, de se ipsis una cum prehensis galea Muribus in lacum praecipitandis cogitasse Ranas, dicentem faciamus Poëtam: hoc autem fiet, si exigua, vel nulla potius mutatione scribamus,

Ἐς λίμνην ἈΥΤΟΥ'Σ σὺν ἘΚΕΙ'ΝΟΙΣ ἰθὺ βάλωμεν.

Hymn. in Apoll. v. 151.

Φαίης κ' ἀθανάτους καὶ ἀγήρως ἔμμεναι αἰεί,
Οἵ ΤΟΤ' ἘΠΑΝΤΙ'Α σεῖο γ' Ἰάονες ἀθρόοι εἶεν.

Priorem versum, ita constituit Vir in his litteris maximus *D. Ruhnkenius*, Ep. Crit. I. p. 11. rep. Ed. in posteriore diu est, quum scribendum suspicor,

Οἵ Γ' ἘΠ' ἈΕ'ΘΛΙΑ σεῖο Ἰάονες ἀθρόοι εἶεν.

Idque ob factam in paullo praecedentibus ludorum mentionem De vocula ἐπὶ cum quarto casu, scopum notante, videri potest ὁ πάνυ *Valcken.* ad *Herodot.* VII. 183. Dionysus apud *Aristoph.* Ran. v. 1465, poëtae educendi caussa venisse se ad inferos indicaturus,

Ἐγὼ, inquit, κατῆλθον ἘΠΙ' ποιητήν.

Hymn. in Merc. v. 93. Mercurius, ut senem vinitorem ab indicando furto dehortetur, haec ait,

Καί τε ἰδὼν μὴ ἰδὼν εἶναι, καὶ κωφὸς ἀκούσας,
Καὶ σιγᾶν, ὍΤΕ ΜΗ' τι καταβλάπτῃ τὸ σὸν αὐτοῦ.

Ubi, ut minas addat ὁ Ἀργειφόντης, me lubente scribetur, ἽΝΑ ΜΗ.

Ejusdem denique Hymni v. 147. vulgatur,

Αὔρῃ ὀπωρινῇ ἐναλίγκιος, ἠΰτε ὈΜΙ'ΧΛΗ.

Quum vix cohaerere viderem sententiam, corrigen-

dum ſuſpicabar, ʼΗΕΤΕ ὀμίχλῃ, *vel nebulae.* Nunc vero nihil muto, niſi quod ʼΟΜΙΧΛΗ caſu recto ſcribendum moneo. Praeterquam enim quod Homericum eſt illud ΗʹΥΤΕʼ ʼΟΜΙʹΧΛΗ, ſimiliter loquutum reperio *Apollonium Rh.* IV, 877. de Thetide Peleum linquente,

Αὐτὴ δὲ πνοιῇ ἰκέλη δέμας, ἠΰτʼ ὄνειρος
Βῆ ῥʼ ἴμεν ἐκ μεγάροιο. κ. τ. λ.

Homero accedat *Aeſchylus*, apud quem ita Prometheus in Tragoedia cognomine v. 436.

——— Συννοίᾳ δὲ δάπτομαι κέαρ
ʼΟρῶν ἐμαυτὸν ὧδε ΠΡΟΣΕΔΟΥʹΜΕΝΟΝ.

Sic exhibet in nitida *P. Victorii* Ed. *Henricus Stephanus*, neque ignoro equidem, quae Viri Docti & alibi de hoc verbo commentantur, & ad *Heſych.* in V. προσέλει. — laboranti metro ut ſuccurrat *Pavius* ΠΡΟΣΣΤΗΛΟΥʹΜΕΝΟΝ ait ſcribendum; quod verbum utinam! idoneis argumentis firmare in animum induxiſſet. Mihi potior videtur *Heathii* V. C. medicina, particulam γε interſerentis; unice autem verum ΠΡΟΣΗΛΩʹΜΕΝΟΝ, quo eodem verbo uſus *Lucianus* in eadem re, in Dial. Jovis & Prom. & in Prom. ſeu Caucaſo. Nimirum verba, quae de cruci adfixis ſolent uſurpari, illa & de hoc Promethei ſupplicio adhiberi conſueverunt. Conf. *Stanl.* ad inſcript. Prom. Vinct. Hinc *Aeſchylus* v. 20. habet προσπασσαλεύειν, idemque verbum *Lucian.* ac Prometheum ἰλλόμενον χαλκέῃσιν ἀλυκτοπέδῃσι. dicit *Apollon. Rh.* II, 1249. Rurſus *Lucian.* in libello de Sacrif. ἀνεσταύρωσεν, inquit, ὁ Ζεὺς τὸν Προμηθέα, qui & τὸ προσπατταλεύειν uſurpavit de Andromeda petrae adfixa, Dial. Mar. XIV. *acratos nodos* habet *Propert.* II, 16, 9. ubi vel ad Prometheum, vel ad Andromé-

dam alludi censent Eruditi. Caeterum metaphorica ratione τῷ προσηλοῦν pulchre usus *Plato* in Phaed. p. 190. T. I. Ed. *Bipont.* vide, sis, locum apud *Bentl.* ad *Horat.* S. II, 2, 79. — Conff. Intpp. ad *Hesych.* in προσηλῶται.

Vs. 478.

> Οὐκ ἦν ἀλέξημ' οὐδὲν, οὐδὲ βρώσιμον,
> Οὐ χριστὸν, οὐδὲ ΠΙΣΤΟ'Ν.

Collato *Theocr.* loco Id. XI. initio, ΠΑ'ΣΤΟΝ mihi videbatur scribendum. *Pollux* On. IV. S. 180. πᾶσσαι Φάρμακα, ἐπιθεῖναι Φάρμακα, ἐπιπᾶσσαι. *Lucian.* in Philopseude, Ὁ γοῦν Ἀσκληπιὸς καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ, ἤπια Φάρμακα πάσσοντες, ἐθεράπευον τοὺς νοσοῦντας. — Et sic quidem olim; nunc vero ita jam conjecisse *Gilb. Gaulminum* video, eumque propterea vapulare *Stanleio*; quare nihil muto, praesertim quùm τὸ ΠΙ'ΣΤΟΝ egregie vindicare magnum *Valcken.* ad *Eurip.* Hippol. vs. 516. opportune me moneat *J. Ruardi*, Vir suo merito Celeberrimus.

Agam. vs. 915. Clytaemnestra ad Agamemnonem,

> Ἔκβαιν' ἀπήνης τῆσδε, μὴ χαμαὶ τιθεὶς
> Τὸν σὸν πόδ', ἄναξ, Ἰλίου ΠΟΡΘΗ'ΤΟΡΑ.

Valckenaerius ad Phoen. *Eurip.* v. 854. malle se ait, ΠΟΡΘΗ'ΤΟΡΟΣ, quae vulgaris forma. Ignoscent, opinor, dissentienti viri maximi Manes. Solere enim Poëtas epitheta, personae ipsi accommodanda, parti cuicumque illius corporis tribuere, observasse mihi videor. Sic certe *Euripid.* Phoen. v. 841. Tiresiae coeco τυφλὸν πόδα tribuit; ejusdem Tiresiae ποῦ; τυφλόπους Phoen. v. 1543. & v 1693. τύφλα χείρ. insano huic

Vati *infanam caefariem* dat. *Stat.* Th. X, 601. rurfus *Euripid.* Oreft. v. 456.

> Καὶ μὴν γέροντι δεῦρ' ἁμιλλႶται ποδὶ
> Ὁ Σπαρτιάτης.

Conf. Eumd. Androm. v. 546 & 860. & Suppl. v. 171.

Caeterum quum *Stanleii Aefchylum* nuper evolverem, forte quadam adhaefi, tanquam ad fcopulum, ad fragmentum *Archilochi*, ex *Clem. Alex.* Strom. I, p. 725. illic (p. 721. Ed. *Par.*) exhibitum, fed mifere, ut videtur, corruptum. hoc nempe,

> Ω Ζεῦ σὸν μὲν ὀρανῶ κράτος,
> Σὺ δ' ἔργα ἐπ' οὐράνως ὁρᾷς,
> Λέωργα καὶ ἁ θέμις.

Quum vero

> Archilochum *proprio* rabies armavit *iambo*,

Verfusque adeo iambici fuerint olim, neceffe fit, fufpicabar poffe fcribi,

> Ω Ζεῦ / πάτ' ἐν / ὀρανῷ / κράτος,
> Σὺ τ' ἔρ / γ' ἐπὶ / ῥάνων / ὁρᾷς,
> Λέωρ / γα καὶ / κἀσι / θέμις.

Videant Acutiores. De contracto κἀσι conf. *Valcken.* ad *Euripid.* Phoen. v. 577. fed in ipfo jam *Euripide* pauca videamus. Phoen. 888.

> Πολλοὶ δὲ νεκροὶ παρὰ νεκροῖς πεπτωκότες,
> Ἀργεῖα καὶ Καδμεῖα μίξαντες βέλη,
> Πικροὺς γόους ΔΩ'ΣΟΥΣΙ Θηβαίᾳ χθονί,
> Σύ τ' ὦ τάλαινα συγκατασκάπτῃ πόλις.

Praeterquam quod vix cohaerent δώσουσι & συγκατασκάπτῃ, ex follemni vatum more (eft enim vaticinium

Tiresiae) qui futura enunciant tanquam praesentia, ΔΙΔΟΥΣΙ corrigendum existimo. Notum illud Cassandrae apud *Ovidium*,

> Graia juvenca venit, quae te, patriamque domumque
> Perdet. io! prohibe, Graia juvenca venit.

V. *Colum* ad *Enn.* p. 13. Matrona illa fatidica apud *Lucan.* 1, 694.

> ——— *Video* jam, Phoebe, Philippos.

Ut recte illic *Burm.* ex *Hortensii* margine. Huc pertinet illud Promethei apud *Aeschyl.* v. 170. *indigebit*, inquit, *mea opera aliquando Jupiter*, *ut ipsi indicem*,

> —— ὑφ᾽ ὅτου
> Σκῆπτρον τιμάς τ᾽ ἀποσυλᾶται.

Ubi Scholiastes, *ἀποσυληθήσεται*, & praecipue Cassandrae vaticinium de rebus in Atridarum domo gestis gerendisque apud Eumd. *Agam.* v. 1099. seqq. adde nobilem illam Theoclymeni ad Penelopes procos orationem apud *Hom.* Od. υ. v. 351. seqq. qua utitur *Socrates* apud *Platon.* Jon. p. 196. T. IV. Ed. *Bipont.* — idem de impense aliquid cupientibus observat Scholiastes ad *Eurip.* Phoen. v. 1259. *nimium*, ut recte prudentissimus scriptor *Sallustius* (B. I. c. 68.) *animo cupienti nihil satis festinatur.*

Idem *Euripid.* Suppl. vs. 520.

> ——— ἄνω γὰρ ἂν ῥίοι
> Τὰ ΠΡΑΓΜΑΘ᾽ οὕτως, εἰ πιεσζόμεσθα δή.

Emendabam

> Τὰ ΝΑ'ΜΑΘ᾽, οὕτως. κ. τ. λ.

Adſcribebamque illud Oenones, ſeu Paridis, apud *Ovid.*

Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.

Ac conſulendos, praeter Paroemiographos, *Hemſterh.* Virum omni, nedum mea, laude maiorem, ad *Lucian.* Dial. p. 31. Ed. min. & Cl. *Burm.* ad *Propert.* I, 15, 29 & II, 11, 33; quum, ecce, Cl. *Segaar*, qua eſt humanitate & in me benevolentia, commode ſuppeditat maximum huic correctioni fulcrum, locum videlicet *Antiphronis* III, Ep. 33. initio, Ἔοικε καὶ ΤᾺ ΝΆΜΑΤΑ ἘΙΣ ΤᾺ ἌΝΩ ῬΥΉΣΕΣΘΑΙ, εἴγε οὕτως. κ.τ.λ.

Oreſt. v, 1018.

, —— πρὸ τύμβυ γάρ σ' ὁρῶσ' ἀνασχέθω,
Ἀδελφὲ, καὶ πάροιθε νερτέρων ΠΥΡΑ͂Σ.

An? ΠΎΛΗΣ. *Janua leti & leto* frequens poëtis, ſed alio plerumque ſenſu. ᾄδου πύλας reperias apud *Aeſchyl.* Agam. v. 1300. ubi conf. *Stanleius*, &, quem laudat, Ill. *Grot.* ad *Matth.* Euang. XVI, 18 Naufragus e mari, praeſentique mortis periculo ereptus apud *Achil. Tat.* p. 118 οἱ, ait, ναύται ἐλεήσαντες ἐφείλκυσαν (f. ἐξείλκυσαν) μὲ ἐξ αὐτῶν τῶν τῦ θανάτου πυλῶν.

Iphigen. in Aul. v. 101.

Τό, τ' ἀξίωμα τἀνδρὸς ἐκγαυρούμενος
Συμπλεῖν τ' Ἀχαιοῖς ΤΟΎΝΕΚ' ἝΟΥ ΘΈΛΟΙ λέγων,
Εἰ μὴ πάρ' ἡμων εἶσιν εἰς Φθίαν λέχος.

Inpeditam ſententiam nemo, opinor, non ſentit. Mihi ſcribendum videbatur ΘΈΛΕΙΝ, vel potius, ΤΟ'ΝΔΕ Γ' ΟΥ ΘΈΛΕΙΝ.

Ead. Fab. v. 357. Niſi cum egregio *Euripidis* Editore *Musgravio* ΣΤΕΡΕ'ΝΤΑΣ ſcripſeris, ςέρεντα Μ' ἄρχας corrigendum puto.

H. F. v. 1345.

> *Δεῖται γὰρ ὁ θεὸς, εἴπερ ἔστ' ὄντως θεὸς,*
> *Οὐδενός.*

Egregiam ſententiam habet Poëta philoſophus a praeceptore *Socrate*, qui ſic apud *Xenoph.* Mem. I, 6, § 10. *Ἐγὼ δὲ νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δέεσθαι, θεῖον εἶναι, τό δὲ ὡς ἐλαχίστων ἐγγυτάτω τοῦ θείου.* V. illic *Ruhnk.*

Quatuor his maiorum gentium poëtis comitem ſe adjungat *Muſaeus* Grammaticus, cuius carmen ſuaviſſimum de Herone & Leandro, quod non indignum cura ſua judicarunt Duumviri praeſtantiſſimi, *Schraderum* dico & *Röverum*, quum totum non ſine magno voluptatis fructu perlegere ſoleo, tum praecipue miror pulcherrimum locum v. 49. ſeqq. ubi Veneris Adonidisque feſto Seſti celebrando nec quemquam alium defuiſſe ait *τῶν περικτιόνων*,

> Οὐδέ τις ἠιθέων φιλοπάρθενος· ἦ γὰρ ἐκεῖνοι
> Αἰὲν ὁμαρτήσαντες, ὅπη φάτις ἐστὶν ἑορτῆς,
> Οὐ τόσον 'ΑΘΑΝΑ'ΤΩΝ 'ΑΓΕ'ΜΕΝ σπεύδεσκε θυηλὰς,
> Ὅσσον ἀγειρομενάων διὰ κάλλεα παρθενικάων.

Depictos credas juventutis noſtrae ſacra celebrantium mores, qui

> Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſi,

Nimirum, ut verbis utar Cl. *Valckenaerii* Praef. ad *Hippol.*, *nominibus mutatis eadem ſemper in hoc rerum humanarum theatro luditur fabula.* Quum vero in Cdd nonnullis ſit 'ΑΘΑΝΑΤΟΙΣΙΝ "ΑΓΕΙΝ, cur illud non recipiatur, vel ſcribatur potius, 'ΑΘΑΝΑ'ΤΟΙΣ 'ΑΓΕ'ΜΕΝ, cauſſam non video.

Id. v. 177

—— πῶς γὰρ ἀλήτης
Ξεῖνος ἐὰν καὶ ἄπυστος ἘΜΗ͂ φιλότητι μιγείης

Lubens equidem arripio, quod in Ed. veteris margine sibi lectum testatur *Schraderus*, 'EMOI', quae frequentissima, ac perpetua fere, in his formula. Hom. Il. Z, 160.

Τῷ δὲ γυνὴ Προίτου ἐπεμήνατο δῖ' Ἄντεια
Κρυπταδίῃ φιλότητι μιγήμεναι.

V. Eumd. Od. O. 419. & Batrach. vs. 19. & *Hesiod.* in Theogon. centenis forsan locis, addito παρὰ Hom. Od. Φ, 219. ne quid tamen dissimulem, secundum casum reperisse me fateor apud *Hesiod.* Sc. H. v. 35. & Theog. 920.

Id. v. 234. Leander somni expers,

—— Πολυφλοίσβοιο παρ' ἠϊόνεσσι θαλάσσης,
Ἀγγελίην ἀνέμιμνε ΦΑΕΙΝΟΜΕ΄ΝΩΝ ὑμεναίων.

Vertunt *lucentium nuptiarum*, faces, credo, maritas, ut poëtice loquar, cogitantes. Confidenter, qui raro caeteroquin mihi mos est, confidenter, inquam, corrigendum, aio, ΦΑΙΝΟΜΈΝΗΝ· exspectabat, donec lychnus accenderetur, appareretque sibi ex adversa ripa V. v. 210. seqq. egregie vero lampadem hanc vocat ἀγγελίην ὑμεναίων Φαινομένην. v. 301.

—— Διακτορίν δέ σε πύργυ
Ἠθάδα σημαίνουσα φαεσφορίην ὑμεναίων.

Eamdem intelligebat Leander apud *Ovid.* H. XVIII. v. 31. *lumina vigilantia turri summa* vidisse se, inquiens.

Nec multum abit illud τοῦ Φύλακος apud *Aeſchyl.* Agam. initio, qui

— φυλάσσω, ΦΗΣΙ', λαμπάδος τὸ σύμβολον,
Αὐγὴν πυρὸς, φέρουσαν ἐκ Τροίας φάτιν,
Ἁλώσιμόν τε βάξιν.

Vs. 296. omnino ſcribendum ΧΕΙΜΕ'ΡΙΟΝ·

Finem capiti imponant ſingula *Xenophontis* & *Luciani* loca. apud Illum Mem. III, 5 § 4 cum *Socrate* diſputans *Pericles* & haec ait. Ἀθηναῖοι δὲ, οἱ πρότερον, ὅτε Βοιωτοὶ μόνοι ἐγένοντο, πορθοῦντες τὴν Βοιωτίαν, Φοβοῦνται μὴ Βοιωτοὶ δῃώσωσι τὴν Αττικήν. Conſidera, quaeſo, locum, totamque orationis ſeriem diligentius, & aut fallor egregie, aut excidiſſe negantem particulam, mecum fatebere, hoc aut ſimili modo reſtituendam, ὅτε Βοιωτοὶ ΟΥ' μόνοι ἐγένοντο.

Apud Hunc vero redux ab inferis *Menippus* (Necyom. circa med.) *Philonidi* narrat, quae viderat, miracula, interque alios decantatos fabulis vidi, inquit, τὸν γηγενῆ Τιτύον, Ἡράκλεις ὅσος, ἔκειτο ΓΑ'Ρ ΤΟ'ΠΟΝ ἐπέχων ἀγροῦ. Erectiorem fore non nihil ſententiam ſuſpicor, ſi ſcribamus, Ἡράκλεις ὅσος ἔκειτο, ΚΑΙ' ΠΟ'ΣΟΝ ἐπέχων ἀγροῦ.

CA-

CAPUT II.

CATULLUS. PROPERTIUS. TIBULLUS. MAXIMIANUS.

Ariadne in aureo illo Epithalamio *Catulli* in nuptias P. & Th. vs. 195.

> Huc, huc adventate meas audite querelas,
> Quas ego, vae miferae, extremis proferre medullis
> Cogor inops, ardens, amenti caeca furore.
> Quae quoniam *verae* nafcuntur pectore ab imo,
> Vos nolite pati noftrum vanefcere luctum.

Puto *verae*, i. e. *juftae*. rariore quidem, fed obfervata faepius Doctis, notione vocabuli. Cic pro Mur. c. 35. *Cato negat* verum *effe*, *allici benevolentiam cibo.* quod interpretatur Ipfe c. feq. *Nam quod ais*, *nulla re allici hominum mentes* oportere *ad magiftratum mandandum*, *nifi dignitate.* V. *Broukh.* ad *Prop.* III, 13, 11. & Intpp. ad Liv. II, 48. § 2. III, 40. § 1. & XXII, 11. § 12, Neque alia ratione *veritas* pro *juftitia* & *fanctitate* five *integritate.* V. *Gronov.* ad *Tac.* Ann. I, 75 § 3. — *Verae voces* frequenter occurrunt apud Veteres, licet alio fenfu. V. *Bentl.* ad *Horat.* A. P. v 318. Qui fanae Critices fatelles rigidiffimus, ex obfervata τοῦ *verus* fignificatione, apud *Horat.* I, Ep. 3, 33, timide quamvis, corrigebat,

> — feu *veri* infcitia verfat,

pro *rerum.* conf *Markland.* ad *Stat.* S p. 18, qui pari medicina *verae* pro *vere* reddebat *Senecae* Controv. II, 10. ad Stat p. 242. & *certae* pro *certe Stat.* S. V, 1, 205.

poſt *Gronovium*. & *aſſiduae menſae* pro *aſſidue* p. 255. — *de querelis* tandem *juſtis* conſule *Withof*. V. C. Enc. Crit p 316.

Propertius I, 3, 9.

Ebria quum multo *traherem veſtigia* Baccho.

Quum Poëtam hunc cum Graecorum elegantiis comparare ſit bene de eo mereri, *Burmanno* iudice, ſat certe idoneo, ad II, 19, 64, adſcribere liceat *Euripideum* hoc Phoen. v. 310.

Γέρα τρομερὰν
Ἕλκω ποδὸς βάσιν.

Id. I, 5, 29.

Sed pariter miſeri ſocio cogemur amore
Alter in alterius mutua flere ſinu.

ſummae hoc familiaritatis esſe bene monet *Broukhuſius*, Vir cultisſimus, cuius ſcripta juventuti verae elegantiae, priſcaeque eruditionis ſtudioſae commendari ſatis non posſunt; bene inquam, monet, ſed comparari merebatur *Apoll. Rh.* III, 705. ſeqq. Ubi Chalciope opem filiis implorat, eamque niſi impetret, ſe,

Quum frigida mors anima ſeduxerit artus,

Umbram locis omnibus & Erinnyn Sorori adfuturam minatur, mox vero

—— τὸ δὲ πολλὸν ὑπεξέχυτ' αὐτίκα δάκρυ,
Νειόθι ἀμφοτέρῃσι περίσχετο γούνατα χερσί,
ΣΥ'Ν ΔΕ' ΚΑ'ΡΗ ΚΟ'ΛΠΟΙΣ ΠΕΡΙΚΑ'ΒΒΑΛΕΝ. 'ΕΝΘ'
'ΕΛΕΕΙΝΟ'Ν
'ΑΜΦΩ 'ΕΠ' 'ΑΛΛΗ'ΛΗΙΣΙ ΘΕ'ΣΑΝ ΓΟ'ΟΝ. Ὦρτο δ' ἰωὴ
Λεπταλέη διὰ δώματ' ὀδυρομένων ἀχέεσσιν

Id.

Id. I, 11, 16.

Ut ſolet amoto labi cuſtode puella
Perfida, *communes* nec meminiſſe *Deos*.

Communes hos *Deos* eosdem, puto, vocat, quos *Socios* *Ovid.* H. V, 126. ſi ſtandum fide Codicum MSS. V. illic *Heinſius*.

Ead. El. V. 21.

An mihi *non* maior carae cuſtodia matris,
Aut ſine te vitae cura ſit ulla meae?

Forſan, inquit *Burman.* V. C. adhaerere praeſtiterit antiquae lectioni,

An mihi *ſit* maior.

In qua nihil reprehendo equidem, ſi repetitionem τοῦ *ſit* non inelegantem ſtatuas, ut alio loco τὸ *poſſum* repetitur. Non diſſimulo tamen, conjeciſſe me aliquando,

Nam mihi *num* maior.

An & *nam* facile confuſa, verſus praeſertim initio, omiſſa de more prima littera. *Num* & *non* & alibi permutata ſaepius, & infra El. XII, 9. V. *Burm.* ad II, 17. 3.

Id. I, 15, 5.

Et potes heſternos manibus componere crines,
Et longa faciem quaerere deſidia.
Nec minus Eois pectus radiare lapillis,
Ut formoſa novo quae parat ire viro.

Diu eſt, quum ſcribendum ſuſpicor,

> *Nec minus* Eois pectus radiare lapillis,
> *Ac* formoſa novo quae parat ire viro.

Non minus, *quam*. V. *Bentl.* ad *Horat.* S. I, 10, 59. Nec mira in his particulis commutatio. Sic *ac* & *at* confuſa V. apud eumdem *Bentl.* ad *Horat.* Ep. 1, 3, 33, *at* & *ut* apud *Oudendorp.* V. C. ad *Appul.* M. p. 5. *ac* & *ad* apud *Oudend.* ad *Sueton.* Jul. 38. *ut* & *an* apud *Bentl.* ad *Horat.* A. P. v. 265. *et* & *ut* apud Eumdem ad *Horat.* A. P. v. 355. & Ep. 1, 18, 80. —— Caeterum minorem Propertii verſum, integrum fere, ſuum fecit Poëta inter recentiores longe elegantiſſimus, feliciſſimusque *Ovidianae* copiae imitator, *Wallius* El. I, 5.

> Hos juvet accenſis nuptam deducere taedis,
> Quo *formoſa novo* jam *parat ire viro.*

Quod tamen plagii ſuſpicione carere omnino debet. V. *Broukh.* ad *Sannaz.* III. El. 1, 166, & egregie hac de re diſputantem *Burman.* ad *Lotich.* T. I. p. 662. & ſeqq. Nec contemnenda ſunt, quae in hanc rem adtulit *Voltaire Lettres ſur l'Oedipe* L. VII.

Id. II, 2, 15. Ad loca a *Burmanno* allata addi poteſt *Apollon. Rh.* I, 119. ſeqq.

Id. II, 9, 15.

> Idem non fruſtra ventoſas addidit alas,
> Fecit & *humano corde* volare Deum.

Deum volare in humano corde, interpretantur alii, alii vero *cor* pro *ſapientia* poni aiunt, & explicandum, *cordate admodum & ſapienter finxit Cupidinem volare.* Sed hoc ſenſu *humanum cor* non *inſignem* ſed *uſitatam in*

homine sapientium, opinor, defignabit. — Quam vellem legeretur, *Fecit nec vano*, feu, *Nec vano fecit*, vel denique, quod verum puto, proxime ad lectionem vulgatam,

Fecit & *haud vano* corde volare Deum.

Id. II. 10, 32.

Quae tegat exftincti funeris umbra *locum*.

Heinfius domum conjecerat. fed *locum* pro *fepulcro* pofitum tuebuntur, credo, quae notavi in Obff. Critt. Libello p. 66. Quibus nunc adde *Euripid.* Heraclid. v. 1040,

—— Ἀλλὰ μήτε μοὶ χοὰς,
Μήθ' αἷμ' ἐάσῃς εἰς ἐμὸν στάξαι ΤΟ'ΠΟΝ.

Dubito vero, an huc referri posfit illud *Socratis* apud *Platonem* in Menexeno, in funebri illa oratione, quam ab *Afpafia* habere fe dicit Philofophus, p. 280. T. V. Ed. *Bipont.* Καὶ νῦν κεῖσθαι, ἐν 'ΟΙΚΕΙ'ΟΙΣ ΤΟ'ΠΟΙΣ τῆς τεκούσης καὶ θρεψάσης, καὶ ὑποδεξαμένης.

Id. II, 13, 96. Vexatum non nihil locum fic conftituo,

Nunc jacere e duro corpus, juvat, improba faxo,
Sumere & in noftras tetra venena manus;
Nec libet in triviis, &c.

Ideo mortem opto, *quia non amplius libet*, *quia taedet* &c. —— primo item verfu elegantem *Aurati* conjecturam non improbo.

Id. II, 20, 27.

Multum in amore fides, multum *conftantia* prodeft,
Qui dare multa poteft, multa & amare *poteft*.

Vellem, liceret scribere *solet. Multas amare consuevit dives, & inconstans esse in amore.*

Id. IV, 11, 1.

Quum semel infernas *intrarunt* funera *leges.*

Insolentia loquutionis *intrare leges* offensi *Burmannus & Schraderus* substituere gestiebant *sedes.* Mihi tamen, si a tantis in hac arte viris dissentire fas sit, vulgata minime sollicitanda videtur; idque tum ob argumenta, quae haud exigui profecto ponderis in notis protulit cultissimus *Santenius*, tum ob *Statii Maniliique* loca mox producenda, quae illam egregie, puto, tuentur. Illius videlicet Th. X, 279.

— Placet egregii spes dura pericli,
Comminus infandi *leges accedere regni.*

Huius I, 333. Orpheus

— Manesque per ipsos
Fecit iter, domuitque *infernas* carmine *leges.*

Sed misso in praesentia *Propertio*, ad suavissimum poëtarum *Tibullum* accedamus. Sic Ille I, 1, 46. Ed. *Broukh.*

Martia cui somnos *classica pulsa* fugent.

Ut improprie dictum, neque inmerito, reprehenditur illud, *pulsa classica*, quae tuba cani soleant; quae quidem res eo redegit novissimum *Tibulli* Editorem *Heynium*, virum longe humanissimum, ut alterutrum suspicari se dicat, vel *rauca* scripsisse Poëtam, vel totum distichon a serioris aevi homine non indocto, qui *tympana* cogitaverit, profectum. Videndum tamen existimo, num quid ad defendendum locum conferre

posfit *tibia* digitis canentum *pulfata*, quam reperio apud *Lucret.* L. IV, 589 & L. V, 1386. Videndum, inquam, num hinc aliquid opis, licet vix putem.

I, 5, 45.

At tu, qui laetus rides mala noftra, caveto
Mox tibi: *non unus* faeviet ufque Deus.

In vetuftis *Perreii* excerptis, monente *Heynio*, est *non uni*, quod praeftare forfan ait Vir. Cl. Mihi non aliter unquam hoc loco fcribendum vifum est, fententia nimirum fic postulante. Mirifice vero hanc opinionem meam confirmat *Aefchylus*, apud quem haec legas Prom. v. 272. feqq.

Πείθεσθέ μοι, πε θεοῖς, συμπονήσατε,
Τῷ ΝΥ͂Ν μογοῦν ι, ΤΑΥΤΑ΄ ΤΟΙ ΠΛΑΝΩΜΕ΄ΝΗ
ΠΡΟ'Σ ῎ΑΛΛΟΤ'῎ΑΛΛΟΝ ΠΗΜΟΝΗ` ΠΡΟΣΙΞΑ΄ΝΕΙ.

Confultus haud ita pridem de hoc loco Cl. *Ruardi*, pro fumma Eius & in omnes Mufarum cultores, & in me benevolentia, refpondere haec non noluit: „ ita etiam ego ante annos complures corrigebam in „ Spec. Crit. p. 44. — Maxime dedecere Deum „ putabat *Euripidea* Jocafte, unum femper vivere „ miferum, V. *Valcken.* ad Phoen. p. 30. *Sophocl.* „ Electr. v. 922.

Ἀλλ' ὦ φίλη θάρσυνε· τοῖς αὐτοῖσι τοὶ
Οὐκ αὐτὸς αἰεὶ δαιμόνων παραστατεῖ

„ Conf. Trachin. v. 447. & *Alciphrcn.* I, 20."

I, 5, 15.

Nam veneror, feu ftipes habet defertus in agris,
Seu vetus in trivio florea ferta lapis.

Egregie huc faciunt, quae de Rutiliano illo, qui τὰ μὲν ἄλλα καλὸς καὶ ἀγαθὸς, πάνυ δε νοσῶν τὰ περὶ τὺς θεοὺς, narrat *Lucianus*, ſcriptor facetisſimus, in Alexandro ſeu Pſeudomante, εἰ μόνον ἀληλιμμένον πυ λίθον ἢ ἐςεφανωμένον θεάσαιτο, προσπίπτων ἀεὶ καὶ προσκυνῶν, καὶ ἐπὶ πολὺ παρεςὼς, καὶ τἀγαθὰ παρ' αυτῦ αἰτῶν. Conf. *Xenoph.* Mem. I, 1. §. 14.

I, 6, 3.

Saepe aliam tenui: ſed jam quum gaudia adirem,
  Admonuit Dominae, deſeruitque Venus.
Tunc me deſcendens devotum femina dixit,
  Et, pudet heu! narrat ſcire nefanda *mea*.

Scaligeri haec v. 6. eſt lectio, probata *Broukhuſio*, neque improbata *Heynio*, qui tamen fatendum ait, verſum hunc non minus languere, quam ipſum Poëtam. Quid? ſi ſcribamus, *meam*? *Narrat dominam meam, quae me devoverit, ſcire nefanda, artes* videlicet *magicas*, quemadmodum voces jam expoſuerant *Statius & Muretus*; illas enim artes honeſta virgo neſcierit melius (Hypſip. apud *Naſonem* H. VI, 93.) Atque haec quidem conjectura eo mihi arridet magis, quod intelligi tum poteſt, quid anſam dederit librorum lectioni, ſeu gloſſemati verius,

Et *dominae* narrat ſcire nefanda *meae*.
Et *dominae* narrat ſacra nefanda *meae*,

Meam vero ita nude poſitum pro *puellam* vel *dominam meam*, non est, quod pluribus adſtruam.

I, 7, 30.

Non ego te laeſi prudens: ignoſce fatenti,
  Juſſit Amor, contra quis ferat arma Deos?

Post elegantem *Broukhusii* notam, & allegata ab *Heynio* loca, contulisse juvat, quae sibi excusando adfert Paris apud *Lucian*. D. N. XXVI, p. 60. Ed. min. *Hemsterh*. Οἶσθα, inquit ad Protesilaum, ὡς ἀκούσιον τί ἐςι (τό ἐρᾷν) καὶ τις ἡμᾶς δαίμων ἄγει, ἔνθα ἂν ἐθέλῃ. καὶ ἀδύνατον ἐςιν ἀντιτάττεσθαι αὐτῷ.

I, 11. 10.

— somnumque petebat
Securus saturas *dux gregis* inter oves.

Dux gregis pro *pastore* positus displicet Cl. *Heynio*, qui tamen unum illud tuentem adducit *Virgilii* locum e Cul. v. 137. addo *pastorem ducem* appellatum videri *Ovidio* Fast. IV, 786.

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit, idcirco cum *duce* purgat oves.

Pastorem enim illic intelligi persuadent mihi v. 747 & 805.

II, 4, 8.

O Ego, ne possim tantos sentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis.

Hercules apud *Euripid*. H. F. v. 1397.

Αὐτοῦ γενοίμην πέτρος ἀμνήμων κακῶν.

Caeterum hoc & sequens *Tibulli* distichon in animo videtur habuisse *Angerianus*, in nobili illa Elegia cycnea,

Non potui tunc esse silex? aut aequoris unda?
Sive cinis? ferrem non ego tanta miser.

II, 5, 125. Comparare soleo *Apollon*. *Rh*. II, 708.

Ἱλήκοις· αἰεί τοι, ἄναξ, ἄτμητοι ἔθειραι,
Αἰὲν ἀδήλητοι, τῶς γὰρ θέμις.

II, 7, 16.

Illius ad tumulum fugiam fupplexque fedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere,

Ad minorem verfum illuftrandum conferre non nihil videtur locus *Sophoclis*, apud quem Electra in eius nominis tragoedia v. 1127. ad Oreftem, quem ignorabat, cuiusque cineres apportari fibi credebat, *trade*, inquit, *urnam*,

Ὅπως ἐμαυτὴν καὶ γένος τὸ πᾶν ὁμοῦ
Ξὺν τῇδε κλαύσω κἀποδύρωμαι σποδῷ.

Quae eadem *Sophoclea* refpiciebat *Propert.* II, 11, 5. v. *Burman.* Nec male expresfit *Voltaire* in *Electra.*

III, 9, 4.

At vanum ventura hominum genus omina noctis
Farre pio placant & faliente fale.

Sic exhibuit *Broukhufius*; *Heynius* vero non argutandum ait in loco, qui nunquam fit habiturus, quod fatis placeat. pace tamen cultisfimi Viri dixisfe liceat, vix videre me, cur librorum ante *Scaligerum* lectio,

At natum in curas hominum genus,

nihil omnino habeat, quod placere posfit Latinis auribus. illam veram ego & genuinam exiftimare foleo, praefertim postquam eodem prorfus modo loquutum reperi *Livium* V, 37. §. 8. de Gallis Romam tendentibus, *Jam omnia contra circaque hoftium plena erant*, & nata in vanos tumultus gens, *truci cantu*, *clamoribusque variis*, *horrendo cuncta compleverat fono.* Conf. *Burm.* ad *Prop* I, 6, 29.

His autem Triumviris quum jungi plerumque *Maxi-*

mianus seu *Pseudo-Gallus* soleat, duo eius loca huc adjecisse non alienum puto. El. I, 163. vulgatur,

Non *Veneris* sunt grata mihi, non munera Bacchi,
Nec quidquid vitae fallere damna solet.

Withofius, Criticus acutissimus, in Enc. Crit. p. 315, exigua, ut ait, mutatione malit *Cereris*. fors tamen defendi possunt *Veneris munera* hoc loco, collato *Homero* Il. Ω, 128, ubi ita Thetis ad Achillem,

Τέκνον ἐμὸν, τέο μέχρις ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων
Σὴν ἔδεαι κραδίην, μεμνημένος οὐδέ τι σίτου,
Οὔτ' ΕΥΝΗ͂Σ; ἀγαθὸν δὲ γυναικί περ ἐν φιλότητι
Μίσγεσθ'.

Munera porro *Veneris* eleganter, quae *Veneris praemia* *Virgilius* vocat, Aen. IV, 33. ut praeclare ostendit Cl. D. *Ruhnkenius* (cuius

Laudes egregias mens mea pertimet
Culpa deterere ingeni.)

in praef. ad H. H. in Cer. p. 13, graeco fonte & hoc loquendi genus fluxisse docens.

Id. II, 31.

Ut video, pulchris etiam vos parcitis *annis*,
Nec veteris formae gratia tota perit.

Idem *Withof*. p. 324. corrigit, *Dii*, *video* &c. Vellem addidisset Vir. Cl., quid per *pulchros annos* intellectum voluerit. Novi equidem *formosum annum*, sed de *vere* positum, de quo similibusque consuli possunt *Broukh.* ad *Tibul*. I, 1, 17. & *Markland*. ad *Stat*. S. p. 342. At *juventutem* designari, per *florentes annos*, vel *formam* potius forte responderet *Withof*. Leniore tamen, ni fallor, medicina dudum corrigebam,

Ut video, pulchris etiam, vos, parcitis, *anni*.

CAPUT III.

Virgilius. Valerius Flaccus. Nemesianus. Calpurnius.

Sed misfis paulifper amoribus, feveriora aggrediamur, & quidem facto a Poëtarum inter Romanos principe, *Virgilium* dico, initio, Georg. igitur IV, 210.

> Praeterea regem non fic Aegyptus, & ingens
> Lydia, nec populi Parthorum, aut *Medus Hydafpes*
> Obfervant.

Sollicitos habet Interpretes *Medus* ille *Hydafpes*, qui *Indiae* est. Nec fanequam perfacile eft dictu, quibus praeftigiis ex India in Medorum agros commigraverit, quum ne ipfae quidem Thesfalae, quarum

> Siftit carmen aquas & vertit flumina retro,

tantam, quod fciam equidem, fibi potentiam arrogasfe reperiantur. Multi igitur multa ad folvendum hunc nodum comminifcuntur, quae apud Ipfos, quam hic, malo legas. Fluctuasfe jam olim Librarios in conftituendo hoc verfu, claret e variis Cdd. lectt., in quibus, *Lydia Parthorum Populi*, & *Medus*, *Medus Hydafpesfve*. An fcripfit?

> ——— ——— & ingens
> Lydia, Parthorum aut populi, *Medufve Choafpes*.

De quo *regio* flumine v. *Herodot.* I, 188. Non exiguum vero robur conjecturae huic inde accedere exiftimo, quod *Hydafpen* pro *Choafpe* etiam dederunt Li-

brarii apud *Solinum* Polyh. c. 37. v. Magnus *Salmaf.* Exc. Plin. p. 699. Ed. Paris. conf. *Broukh.* ad *Tib.* IV, 1, 140.

Aen. I, 325.

O quam te memorem, Virgo, namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem fonat, o, Dea certe;
An Phoebi foror, an Nympharum fanguinis una,
Sis felix, noftrumque leves quaecumque laborem &c.
Multa tibi ante aras noftra cadet hoftia dextra.

Homerum Od. ζ, 141. feqq. aliifque locis bene comparant & *Urfinus* & Interpp. praeter ifta tamen Poëtae animo praecipue videntur obfervata haec *Apollonii Rh.* IV, 1411. feqq. ubi fic Orpheus ad Hefperidas,

Δαίμονες ὦ καλαὶ καὶ ἐύφρονες, ἵλατ᾽ ἄνασσαι
Εἴτ᾽ οὖν οὐρανίῃς ἐναρίθμιοι ἐςὲ θεῇσιν,
Εἴτε καταχθονίῃς, εἴτ᾽ οἰοπόλοι καλέεσθε
Νύμφαι· ἴτ᾽ ὦ νύμφαι, ἱερὸν γένος Ὠκεανοῖο,
Δείξατ᾽ ἐελδομένοισιν. κ. τ. λ.
——— εἰ δέ κεν αὖτις
Δή πότ᾽ Ἀχαιΐδα γαῖαν ἱκώμεθα ναυτιλίῃσι,
Δὴ τότε μυρία δῶρα μετὰ πρώτῃσι θεάων,
Λοιβάς τ᾽ εἰλαπίνας τε παρέξομεν εὐμενέοντες.

Aen. III, 411.

——— Angufti *rarefcunt clauftra* Pelori.

Commentarii vicem praeftant *Juftini* verba, quae numquis alius jam comparaverit, ignorare me fateor, IV, 1. fub finem, de hoc ipfo freto. *Ea enim eft procul infpicientibus natura loci, ut finum maris, non tranfitum putes, quo quum accefferis*, difcedere ac fe-

jungi promontoria, quae antea juncta fuerant (an? *fuerint.*) arbitrere. *Lucret.* IV, 397.

Exſtantesque procul medio de gurgite montes,
Claſſibus inter quos liber patet exitus, iidem
Apparent, & longe divolſi licet, ingens
Inſula conjunctis tamen ex his una videtur.

Conf. *Valer. Flac.* I, 284. & Intpp. Ubi prolato Juſtini loco bene utitur *Heinſius.*

Eodem ſupra v. 279.

Luſtramurque Jovi.

Jovem caedis, omnisque piaculi, quod expiandum est, ultorem & vindicem recte ait *Heynius* V. C., provocans ad *Apollon. Rh.* IV, 699. ſeqq. Addere liceat, luſtrandi auctorem fuiſſe ipſum Jovem, utpote qui primus Ixionem, caedis reum, luſtraverit, v. Scholiast. *Aeſchyl.* p. 287, omnique adeo luſtrationi praefuisse, inde dictum καθάρσιον. *Herodot.* I, 44.

Aen. IV, 166.

—— *Prima* & Tellus & pronuba Juno
Dant ſignum.

Prima hic pro peculiari *Telluris* epitheto perperam, puto, accipit *Stanleius* ad *Aeſchyl.* Prom. v. 210. Mihi quidem perplacet *Heynii* ratio *primum* interpretantis.

Aen. VI, 667.

Muſaeum ante omnes.

Quod *Muſaeum* potisſimum nominet, mirantur, inquit *Heynius*, Interpretes. Ipſe cauſſam adfert, quod,

quum Homerus occurrere Aeneae non posset in inferis, vix alium nominare potuerit, quam Musaeum aut Linum, quorum Musaei praecipua auctoritas, propter religiones institutas ac teletas. Bene omnino. Unice vero ad illustrandum Poëtam facit locus *Platonis* de Rep. II. p. 218. T. VI. Ed. *Bipont*. ΜΟΥΣΑΙΟΣ δὲ τούτων νεανικώτερα τἀγαθὰ, καὶ ὁ ὑιὸς αὐτοῦ, παρὰ θεῶν διδόασι τοῖς δικαίοις. εἰς ᾅδου γὰρ ἀγαγόντες τῷ λόγῳ, καὶ κατακλίναντες, καὶ συμπόσιον τῶν ὁσιών κατασκευάσαντες, ἐστεφανωμένους ποιοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας· ἡγησάμενοι κάλλιστον ἀρετῆς μισθὸν μέθην αἰώνιον. —— Jam inspice, quaeso, quae praecedunt apud *Virgilium*, a versu inde 656.

Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam
Vescentis, laetumque choro Paeana canentis,
Inter odoratum lauri nemus, unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis, &c.

Et fateberis, credo, non alium magis opportunum, quam *Musaeum*, a Virgilio potuisse commemorari.

Aen. VII, 526.

Horrescit strictis *seges* ensibus.

Fundum esse *Homeri* locum Il. N, 399. bene post *Ursinum*, monet *Heynius*. Caeterum verbo ΦΡΙΣΣΕΙΝ de vera segete usus *Euripid.* Suppl. v. 30.

—— ἔνθα πρῶτον φαίνεται
ΦΡΙΣΑΣ ὑπὲρ γῆς τῆσδε κάρπιμος στάχυς.

Et *Homer.* Il. Ψ. 598.

—— Ὥσεί τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση
Λητου ἀλδήσκοντος, ὅτε ΦΡΙΣΣΟΥΣΙΝ ἄρουραι

Conf. *Stanl.* ad *Aesch.* Suppl. v. 615.

Cul. v. 106.

> Jam medias operum partes evectus erat Sol,
> Quum densas pastor pecudes cogebat in umbras:
> *Ut* procul *adspexit* luco residere virenti,
> Delia diva, *tuo.*

Heynius scribit,

> *Hunc* procul adspexit luco residere virenti
> Delia diva *suo.*

Proxime verum, quod fuisse credo,

> *Hunc* procul *adspexti* luco residere virenti,
> Delia diva, tuo.

Potuit nimirum contractio vocis *Virgiliana* fraudi fuisse Librariis; quemadmodum *duxit* pro *duxti* pertinaciter exhibent Cdd. apud *Propert.* I, 3, 27. V., quos illic laudat *Burm.* Nec dissimili ratione *edixti* pro *edixit* corrigebat *D. Heinsius* apud *Horat.* I. Ep. 19, 10. Quamquam illic *edixi* scribendum cum *Bentleio.*

Eod. v. 116.

> —— Tantum non Orpheus Hebrum
> Restantem tenuit ripis, silvasque canendo,
> Quantum te *Peneu*, remorantem *dia* chorea.

Τὸ *Peneu* procul hinc eliminandum demonstrarunt & *Schrader.* praef. Emend. p. 22. & *Heynius* ad h. l. uterque corrigit,

> Quantum te *pernix* remorantem, *diva*, chorea.

Quod licet firmari possit illo *Lucretii* L. II, 640.

> ——— *Pernice chorea*
> Armati in numerum pulsarent aeribus aera.

Novi

Novi tamen, qui *Pernox* malit, *παννύχιος Homericum*. v. *Salmas.* ad *Capitol.* ver. c. 4. & *Heins.* ad *Ovid.* M. VII, 268. *παννύχιοι χόροι* sunt apud *Sophocl.* Antig. 158. Unde *παννυχίζειν* in re haud dissimili apud *Aristoph.* Ran. v. 449. *Pernox alea* apud *Juven.* VIII, 10. *παννυχίδα ποιεῖν* apud *Platon.* de Rep. I. p. 148. T. VI. *Ed. Bipont.* — *Pernoctes* igitur Nymphae cum Satyris *imminentem* Lunam remorantur.

Eod. v. 341.

——— Ibat in altum
Vis Argoa petens patriam, ditataque praeda
Arcis Erichthoniae: comes huic erat aura secunda
Per placidum cursu pelagus: *Nereis ad undas*
Signa *dabat*: pars inflexis *super acta* carinis.

Scribebat *Scaliger*

——— *Nereides undis*
Signa *dabant*, pars inflexis *subit* acta carinis.

Sensum vidit Vir maximus, qui tamen ut eliciatur, remoto, quod male *Heynium* habebat, *τῷ acta*, corrigendum fors insuper,

——— Pars inflexis *subjecta* carinis.

Ut *subjicere se*, *collum*, *humeros oneri* & sim. passim. Comparanda vero, quae opportune suggessit Cl. *Wassenberghius*, Praeceptor aestumatissimus, Aen. X, 225, seq. 246, seq. Aen. V, 241, &c. quibus adde *Valer. Fl.* I, 657. &c.

Eod. V. 373.

——— Quo *maxima* Minos
Confcelerata pia *discernit* vincula sede.

Praeſtat, opinor,

——— Quo, *maxime* Minos,
Conſcelerata pia *diſcernis* vincula ſede.

Ut vitentur ſanequam ingrate juncta hoc loco adjectiva; qua de re ſaepiuſcule disputarunt Docti, videri posſunt *Broukh.* & *Heyn.* ad *Tib.* III, 5, 22. *Bentl.* ad *Horat.* S. I, 9, 30. & praecipue *Oudend.* ad *Sueton.* Ner. 37. —— Caeterum eamdem correctionem ſuo exemplari allevisſe *Schraderum* τὸν μακαρίτην non ita pridem mihi ſignificabat memoratus modo *Wasſenberghius*. Is igitur inventi laudem, ſi qua est,

Secum habeat, ſervetque ſepulcro.

Cir. V. 72.

Ipſe pater timidam *ſaeva* complexus arena.

Heynius V. C. „ *ſaeva arena*, quis ferat? lege *flava*: frequens & elegans verbum. Nam *Auſonia arena* ſi legam, verendum est, ne longius ſit petitum." Mihi *ſola* ſcribendum videtur cum Cl. *Ruardi* Spec. Crit. p. 37, quod egregie convenit τῷ *timida*; praeter quam quod nihil tritius, quam *ſolum litus*, *ſola arena*, & *ſola acta* apud *Catul.* Epith. P. & Th. v. 168, ex certisſima *Heinſiii* emendatione, in quam, ante viſa illuſtrisſimi Viri Adverſaria, & ipſe olim incideram V. *Virgil.* Aen. V, 613.

Eod. 380.

Tanta est in *parvo* fiducia *crine cavendi.*

Non nemini hic verſus

Ἔοικεν εἶναι τοῦ πονηροῦ κόμματος.

Quod nisi statuas, vide, an corrigere mecum velis,

> Tanta est in parvi fiducia *stirpe* capilli.

Tibul. I, 9, 49.

> Tollere tum cura est albos a *stirpe* capillos.

Maroni comitem demus *Valerium Flaccum*, quem Heroicorum post Virgilium eminentissimum, non injuria profecto, vocabat *Dom. Marius Niger* in comment. ad *Ovid.* Am. I, 15. Sic igitur Ille I, 130.

> Hic insperatos Tyrrheni tergore piscis
> Peleos in thalamos vehitur Thetis: aequora Delphin
> Corripit: illa sedet *dejecta in lumina palla.*

De interpretatione huius loci vix constat inter Commentatores, qui conferri possunt, ut & *Gronov.* ὁ πάνυ. Obss. IV, 21. Tristitiam Deae,

> Non Jove maiorem nasci quae flebat Achillem,

hoc habitu designari, indicio est, praeter alterum Poëtae locum VIII, 204, *Euripid.* Suppl. v. 286, ubi ita Theseus ad matrem Aethram,

> Μῆτερ, τί κλαίεις, λέπτ' ἐπ' ὀμμάτων φάρη
> Βαλοῦσα τῶν σῶν.

Quem eumdem V, v. 110. seqq. & Iphig. in Aul. v. 1223 & 1550. Recte quoque locum cepit *Wernsdorf. V. D.* in nota ad *Stat.* Th. X, 496. Mus. Crit. V. I. P. I. p. 116. Rursus *Euripid.* Jon. 967.

> Τί κρᾶτα κρύψας, ὦ γέρον, δακρυῤῥοεῖς.

Pudoris quoque caussa vultum tegebant. *Euripid.* H. F. v. 1159. & 1198. —— prae pudore simul & tristitia Medea a Circe increpita apud *Apollon. Rh.* IV,

749. prae moerore Jason & Socii apud eumdem *Apollon.* IV, 1294. conf. v. 1314. —— diversa non nihil ratio est, quare Ulysses

> Πορφύρεον μέγα φᾶρος ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσι
> Κὰκ κεφαλῆς εἴρυσσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωπα.

apud *Homer.* Od. Θ, 84, & mox v. 92.

> Ἂψ — κατὰ κρᾶτα καλυψάμενος γοάασκεν.

(quo posteriore loco bene utitur Cl. *Ruhnken.* ad H. H. in Cer. v. 182.) diversa, inquam non nihil est ratio,

> Αἴδετο γὰρ Φαίηκας ὑπ᾽ ὀφρύσι δάκρυα λείβων.

Neque aliam ob caussam Phaedon, apud *Platonem* in Dialogo eius nominis sub finem, postquam viderat venenum bibentem Socratem, *ἐγκαλυψάμενος*, inquit, *ἀπέκλαιον ἐμαυτόν*· Verebatur scilicet Magistrum, *ταυρηδὸν*, *ὥσπερ εἰώθει*, *ὑποβλέψαντα*.

IV, 587.

> Verum inter medias dabitur *sic* currere cautes,
> *Certe* digna manus, mediumque exibis in aequor.

Collato *Apollonio* II, 325.

> Εἰ ἐτεὸν πυκινῷ τε νόῳ, μακάρων τ᾽ ἀλέγοντες
> Πείρετε.

Scripsisse aliquando suspicabar Poëtam, *si tua digna manus.* Nunc vero praefero Cl. *Schraderi* medicinam, in litteris ad me corrigentis,

> Verum inter medias dabitur *si* currere cautes,
> (Certe digna manus) mediumque exibis in aequor,
> Proxima regna Lyci, &c.

VIII, 397.

> Namque datum hoc fatis, trepidus ſupplexque canebat
> Mopſus, ut in ſeros irent magis *ipſa* nepotes.

Puta, *iſta*, δεικτικῶς. mala prius memorata. Conf. *Burm.* & de vi vocis *iſta* magni nominis magnum Haeredem ad *Prop.* I, 7, 23.

Post *Valerium* ſocios ſibi hoc capite junctos *Nemeſianum & Calpurnium*, non indignabitur, puto, *Virgilius*, quippe quos in Bucolico carmine nactus est imitatores. *Nemes*, igitur Ecl. III, 46, ex Ed. *Burm.*

> Tum Satyri, laſciva cohors, ſibi pocula quisque
> Obvia corripiunt; *quod ſors dedit, hoc capit uſus*, &c.

Corruptum ait locum *Burm. V. C.*, & latere nomen vaſis. Mihi aut nihil mutandum videtur, aut recte ſcribere *Ulitius*, *occupat*, V. Curt. III, 2, 15. niſi rectum est *arripit*, ut in Add. habet *Burm.* quod tamen vix veri ſimile, quum *corripiunt* praeceſſerit. Comparare autem ſoleo *Virgilium* Aen. VII, 506. ſeq. licet alia in re.

> Improviſi adſunt: hic torre armatus obuſto,
> Stipitis hic gravidi nodis, *quod cuique repertum*
> *Rimanti, telum ira facit.*

Cui ſimile eſt hoc *Herodiani* VII, 11, Ὁ, τε δῆμος ἐνθουσιῶν, πᾶν τὸ ἐμπῖπτον ὕλης ἀξιομάχου ἐργαλεῖον ὅπλον ἐποιεῖτο. *Tacit.* Ann. XIV, 5 ſub finem, *Acerronia — contis & remis, & quae* Fors *obtulerat, navalibus telis conficitur.* Unde ſimul patet, apud *Nemeſianum Fors* ſcribendum non *Sors.* conf. *Bentl.* ad *Horat.* I. S. 6,

54. — Variata aliquoties haec sententia legitur apud *Claudian*, Ep. XLIII. Ed. *Barth*,

In jaculum quodcumque gerit dementia mutat.
Omnibus armatur rabies pro cuspide ferri.
Cuncta volant, dum dextra ferox in *vulnera* saevit.
Pro telo geritur, quidquid suggesserit ira,

Conf. illic *Barth*. — Bene igitur sanam pronuntiat vulgatam Cl. *Wernsdorf*. quem sub *Calpurnii* nomine haec edidisse, fero video.

Calpurnius I, 78 Ed. *Burm*.

— Ut placidum radianti luce cometem
Proferat? ut liquidum mittat sine vulnere sidus?
Non per utrumque polum, sicut solet, igne cruento
Spargit & ardenti scintillat lumine lampas.

Varie locum tentant Eruditi, scribebam ego,

Spargitur ardenti *scintillans* lumine lampas.

Quam mutationem levem profecto existimabit, qui omissam saepius a Librariis notam syllabae *ur*, adeoque passivi tertiam in tertiam activi fuisse mutatam cogitaverit. qua de re V. *Oudend*. ad *Sueton*. Aug. 84. — Sed v. 80. *Numquid utrumque polum* e Cdd. quibusdam exhibere video *Wernsdorfium*. quo admisso recte se habere locus potest videri.

II, 35.

Nam potes irriguis *nutrire* canalibus hortos.

τὸ *nutrire* quod tuetur, bene facit *Burman*. *Ovid*. M. V, 590.

——— *Nutritaque* populus unda.

Theſeus apud *Euripid.* Suppl. 205. *laudo*, inquit, *eum*,

——— quisquis fuit ille Deorum,

Qui dat,

Τροφήν τε καρπῶ, τῇ τροφῇ τ' ἀπ' ὐρανῶ
Σταγόνας ὑδρηλὰς, ὡς τά γ' ἐκ γαίας τρέφῃ
Ἄρδῃ τε νηδύν.

III, 24.

Phyllide contentus (*ſolus* tu teſtis, Iola, es)
Callirrhoen ſprevi, quamvis cum dote rogaret.
En *ſibi* cum Mopſo calamos intexere cera
Incipit, & puero comitata ſub ilice cantat.

Vs. 24. cum *Burmanno* & *Heinſio* ſcribendum *ſola*. Mutatum illud forſitan fuerit, quod, omisſo *es*, ſonum reddebat Latinis auribus minus ſuavem, etſi non omnino infrequentem, V. *Burm.* ad *Lotich.* T. I. p. 493, ſeq. & ad *Prop.* I, 8, 11. —— dein vero v. 26. corrigo *tibi* cum *Burmanno*, ut ſit,

Phyllide contentus *ſola* (tu teſtis, Iola, es)
Callirrhoen ſprevi, quamvis cum dote rogaret.
En *tibi*, quum Mopſo calamos intexere cera
Incipit.

Phyllide contentus ſolam illam amabam quum ecce tibi &c. ibi eſt in uno Cd. apud *Burm.* in add.

V. 27.

—— Tepidos tunc hoſtia cultros
Imbuat, atque etiam, dum vivit, ovilia *luſtra*.

Burm. „ non intelligo, inquit, quis ſit ille, *dum vivit.* „ forte legendum, *hac etiam, dum vivit*, vel *ante*

„ *tamen*, *dum vivit*, fcil. hoftia. —— aliter me non „ extrico." Prior Viri Cl. conjectura firmatur Cdd, in quibus *ac etiam.* mihi tamen fimpliciśsimum videtur corrigere.

—— Atque etiam, dum vivit, ovilia *luftret.*

Luftrat fcriptum video in *Titii* nota ad Ecl. VII, 11. Ipfa autem victima *luftrare agros*, *oves* &c. recte dicitur. teftem haud recufabis *Tibullum* I, 1, 2,

Tunc *vitula* innumeros *luftrabat* caefa *juvencos.*

Ecl. VI. 20. *noftros* pro *noftris* quod legatur, operarum, opinor, culpa accidit.

Ead. v. 32.

—— En adfpicis illum,
Candida qui medius cubat inter lilia cervum?
Quamvis hunc Petale mea diligat, accipe victor.

Turbatum fuiffe in extremo verfu, oftendunt Cdd. concinnior, meis quidem auribus, erit ordo, fi fcribas,

Hunc, *quamvis* Petale mea diligat, accipe victor.

Ex Seq. v. *melior viret herba tapetis*, egregia eft magni *Bentleii* conjectura, qua apud *Horat.* I. Ep. 10, 19 *tapetis* reponere cupiebat pro *lapillis*.

CAPUT IV.

HORATIUS. OVIDIUS.

Hoc capite *Horatio Ovidioque* & lucis aliquid & medelae, pro noſtro videlicet modulo, adferre conabimur. Quorum Ille od. I, 14, 3.

——— Nonne *vides* ut
 Nudum remigio latus?
Et malus celeri ſaucius Africo
Antennaeque *gemant*, ac ſine funibus
 Vix durare carinae
 Posſint imperioſius
Aequor?

Bentleius (cuius caeteroquin correctionem non improbo, licet admittaſne eam, an vulgatam ſerves, vix asſem interduim) *Bentleius*, inquam, inter caetera, quibus ſuſpectam conatur reddere vulgatae fidem, & haec habet; „ Satiſne placet illud, *vides ut gemant?* ocu„ liſne percipi poterit gemitus? credideram auribus „ potius ſentiri." Quae excidiſſe nollem acutisſimo Viro, quum, ſenſuum verba ſaepiuscule a Poëtis ſolere permutari, frequenter Docti notaverint. *Virg.* Aen. IV, 490.

——— *Mugire videbis*
Sub pedibus terram.

Aeſchyl. E. E. Θ. *κτύπον δέδορκα.* Ubi Scholiaſt. p. 73. *Μετήγαγε τὰς αἰσθήσεις πρὸς τὸ ἐνεργέστερον, ὡς, "Ηκουσας*

ὁ κόραξ οἷος ἦλθ᾽ ἐξ ὀρέων. —— *Sophocl.* apud *Scholiast. Valcken.* ad *Eurip.* Phoen. v. 308.

> Καὶ γὰρ χαρακτὴρ αὐτὸς ἐν γλώσσῃ τί μοι
> Παρηγορεῖ Λάκωνος ὀσμᾶσθαι λόγου.

Iterum *Aeschyl.* Prom. v. 20.

> Ἵν᾽ οὔτε φωνὴν, οὔτέ του μορφὴν βροτῶν
> Ὄψει.

Ubi conf. *Stanl.* quare neque adsentiri possum illustri *Heinsio*, apud *Propert.* II, 13, 49 pro

> *Vidistis* moto sonitus procurrere coelo,

corrigenti, *Audisti*, quum recte se habere videatur locus, modo *vidisti* scribatur. Defendere tamen hinc nolim vulgatam lectionem apud *Horat.* III od. 10.

> Audis, quo strepitu janua, quo nemus
> Inter pulchra satum tecta remugiat
> *Ventis?* & positas ut glaciet nives
> *Puro* numine Jupiter.

Ubi eadem fere de caussa *Sentis* (& aliam ob rationem *duro*) corrigit idem *Bentleius.* defendere, inquam, vulgatam isthic loci nolim, non quod τὸ *audis*, ex allata observatione, non ad *glaciatas* etiam *nives* possit referri (praesertim quum verbum unum de duabus rebus, quarum alteri proprium sit, alteri non item, adhiberi frequenter soleat, V. *Propert.* II, 23, 13 & seq. *Oudend.* ad *Sueton.* Aug. 39. Laudd. *Dukero V. C.* ad *Flor.* II, 17 § 12. *Burm.* ad *Propert.* I, 1, 24 & II, 25, 13. conf. *Ernest.* ad *Xenoph.* Mem. S. II, 1, 1. &c, quem laudat *Heathius* ad *Sophocl.* Aj. v. 160, & ad ej. Electr. v. 437, *D'orvill.* ad *Charit.* p. 394 seqq.

non ideo, inquam, sed quod absurde videntur jungi, *remugiat strepitu ventis*, V. *Bentl.*

II. od. 2, 13.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi caussa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Pervulgatam licet sciam hanc avari cum hydropico comparationem, nemo tamen, opinor, aegre feret, adscribi a me *Polybii* locum, qui commentarii praestet vicem, exstat is apud prudentissimum Historicum L. XIII. 1; Καθάπερ ἐπὶ τῶν ὑδρωπικῶν οὐδέποτε ποιεῖ παῦλαν οὐδὲ κόρον τῆς ἐπιθυμίας ἡ τῶν ἔξωθεν ὑγρῶν παράθεσις, ἐὰν μὴ τὴν ἐν αὐτῷ τῷ σώματι διάθεσιν ὑγιάσῃ τις. τὸν αὐτὸν τρόπον οὐδὲ τὴν πρὸς τὸ πλεῖον ἐπιθυμίαν οἷόν τε κορέσαι, μὴ οὐ τὴν ἐν τῇ ψυχῇ κακίαν λόγῳ τινὶ διορθωσάμενον.

Ejusd. L. Od. ult. v. 5. pro vexato illo *vocas* corrigere me *foves*, h. e. *amas*, dixi alibi; quo loco addebam, Od. III, 2, 25. *multa merces* me lubente scriptum iri.

Epist. I, 1, 105.

De te pendentis *te respicientis* amici.

Tὸ respicere quum sit actio superioris erga inferiorem, potentis erga inopem, notetque *curare*, curam alicuius gerere (ut graecum ἘΠΙΒΛΈΠΕΙΝ V. *Stanl.* ad *Aeschyl* E. E. Θ. v. 109.) hoc in loco potuisse poni negat *Bentleius*, probatque adeo *N. Heinsii* correctionem; *te suspicientis*, quod usitatum profecto in hac re. Defendere tamen vulgatam videri potest *Caesar* de *B. C.* I, 1. *Lentulus consul senatu Reique publicae se non defuturum pollicetur, si audacter ac fortiter sententias dicere velint.*

Sin Caesarem respiciant atque eius gratiam sequantur, *ut superioribus fecerint temporibus, se sibi consilium capturum.* — Recte igitur *Dacierius.*

Eod. L. Ep. II, 45.

——— Incultae *pacantur* vomere silvae.

Mirum profecto loquendi genus, cuius exemplum frustra quaero, nam *pacare nemora*, quod reperias apud *Virgil.* Aen. VI, 804, huc non pertinet, quemadmodum nec *pacare metu silvas*, *Manilii*, quo usus *Bentl.* ad A. P. v. 197. nec *pacare silvas Statii* Th. IV, 250. ubi V. *Barth.* Unde incidebat aliquando suspicio scripsisse Poëtam *perarantur*, mutatione nulla, si memineris τὸ *per* in MSS. scribi unica littera *p*, ducta per partem inferiorem lineola. Nunc vero nihil novare arbitror tutius, quum non dissimili modo τῷ *mitigare* usum reperiam *Flaccum* II, Ep. 2, 186. conf. *Dacier.*

Eod. L. Ep. 4, vs. 6. ad *Tibullum.*

Non tu corpus *eras* sine pectore, Dii tibi formam,
Dii tibi divitias *dederant*, artemque fruendi.

Timide dico, sed dico tamen, memor istius Euripidei,

Δοῦλον τὸ δ' εἶπας, μὴ λέγειν ἅ τις φρονεῖ,

si *dederunt* corrigendum, ut *Bentleius* edidit, & *Cuninghamus* pro *eras*, quod tum ferri non videtur posse, lubens scribam *enim.*

Eod. L. Ep. 7, 75.

Mane cliens, & *iam certus* conviva.

Bentl. ex S. II, 7, 33.

— jusferit ad fe
Maecenas *ferum* fub lumina prima venire
Convivam.

corrigendum fufpicatur, *etiam ferus conviva.* Disfentire ab *Horatii* Sofpitatore (cuius nonnulla κατορθώματα ab *Hemfterhuifio*, at quali viro, juvenibus in exemplum certae Critices proponi folitas fuisfe, non nefcio) fi liceat, vulgatam fervabo libens; *certumque convivam* accipiam cum *Dacierio* eum, qui quotidie, femel vocatus, ad caenam veniat. In altero *Horatii* loco longe alia res est, illic enim *fub vefperam* ad Maecenatem vocatur Poëta, ac nusquam invitatus legitimo & confueto tempore domi caenaturum fe putabat, laudabatque fecurum olus. V. locum.

Eod. L. Ep. 16, 38.

Mordear opprobriis falfis, *mutemque colores.*

Vulgatam licet non fpernam, piaculum tamen duco filere lectionem rariorem, quam exhibet *Lofcheri* editio, *mutentque colores.* de quo loquendi genere V. & alios & Intpp. ad Liv. III, 10, § 6. L. XXIX, 51, §. 10.

Ep. II, 1, 24.

— *Foedera* regum
Cum Gabiis vel cum rigidis *aequata* Sabinis.

Nifi deprecatus esfet Poëta invidiam, fi acquirere pauca posfet fermoni patrio, putarem fcripfisfe Eum,

— *Foedera* regum
Cum Gabiis vel cum rigidis *patrata* Sabinis.

Pater patratus, inquit *Livius* I, 24. *ad jusjurandum* patrandum *id est ad ſanciendum ſit foedus.* —— Nec diverſa ratione *patrare bellum Tacit.* An. II, 26. & *pacem* V. *Drakenb.* ad Liv. II, 26. §. 4. & XLII, 30. §. 11.

Eod. L. Ep. 2, 212.

Quid te exemta *levat* ſpinis de pluribus una.

τὸ levat pro *juvat* recte, puto, e Cdd. revocavit *Bentleius*, & post illum *Cuningh.* —— Jam olim turbatum fuisſe in hoc verſu, ostendit & *Loſcheri* editio, quae habet,

Quid te exemta ſpinis de pluribus una.

Eadem ſeq. verſu omittit *τὸ recte.*

A. P. v. 276.

Dicitur & plauſtris vexisſe poëmata Theſpis
Qui canerent agerentque peruncti faecibus ora.

Ita egregie, meo quidem ſenſu, locum correxit *Bentl.* pertinent autem huc, quae habet Scholiaſ. *Ariſtoph.* ad Nub. v. 295. Οἱ *τρυγοδαίμονες, οἱ ποιηταί. ἐπειδὴ τὴν τρύγα χριόμενοι, ἵνα μὴ γνώριμοι γένωνται, ὕτω τὰ αὐτῶν ἦδον ποιήματα κατὰ τὰς ὁδοὺς ἁμάξης ἐπικαθήμενοι. κ. τ. λ.* —— Neque aliter cepisſe locum videtur perpetuus Veterum imitator *Boilavius* A. P, Ch. III, 67.

Theſpis fut le premier, qui barbouillé de lie
Promena par les bourgs cette heureuſe folie;
Et d'Acteurs mal ornés chargeant un tombereau,
Amuſa les paſſans d'un ſpectacle nouveau.

Ubi in notis videri potest, quo modo eumdem hunc *Horatii* locum expresſerit *Vauquelinus.* —— Sed du-

dum nos vocat *Ovidius*. Quin igitur petenti opem κατὰ δύναμιν ferimus? Apud Eum *Her.* XII, 62. haec vulgantur.

> —— thalamo cara recepta soror
> Disjectamque comas, *aversaque* in ora jacentem]
> Invenit.

Verba sunt Medeae narrantis, quam male noctem egerit post visum Jasonem. *adversa* exhibere multos codices notat *Burman.*, quod tamen rejicit Vir Cl. ideo, quia pronam jacuisse sit veri simile. *pronam* jacuisse constat ex *Apollonio* Rh. III, 655, ubi

> Λέκτροισι πρηνὴς ἐνικάππεσεν εἱλιχθεῖσα.

Sed inde *adversa* quin scribendum sit, quis dubitabit? praecipue quum ne intelligi quidem possit, quomodo in *aversa ora jacere* quis queat. —— Caeterum totus is *Apollonii* locus, quo fluctuantis Medeae animum pulcherrime describit egregius plane in exprimendis affectibus artifex, & cum hoc *Ovidii*, & cum altero ejusdem M. VII. initio, ab harum rerum studiosis meretur conferri.

Ead. Ep. paulo post v. 65.

> Orat opem Minyis: *petit altera & altera habebit.*
> Aesonio juveni, quod rogat illa, damus.

Ill. *Heinsius*, si quid mutandum sit, scribere se ait,

> Orat opem Minyis *soror altera, at altera flevit.*

Quod ultimum durum satis, quum de se loquatur Medea. *Salmasius* ad *Hist. Aug.* T. II. p. 6, ut probet Latinos *alter & alter* dixisse, ubi de femina & viro

ſermo est, adducit ita hunc locum ex membranis *Puteani*,

Orat opem Minyis: *alter petit, alter habebit.*

In quo tamen illud inest boni, quod posterius *alter* Jaſonem reſpicere adverterit Vir maximus. Quid multis? mihi unice arriſit ſemper, quod in Cdd. non nullis repertum ſibi dicit *Heinſius*,

Orat opem Minyis: *petit altera & alter habebit.*

Modo *at* ſcribatur pro *et*, ut ſententia ſit, *roganti Chalciopae Argonautis auxilium promiſiſſe ſe ſuam opem, per ſpeciem quidem & cauſſam, ac ſi filiorum ſororis ipſam miſereret, iisque vellet conſultum, re autem vera Jaſonis cauſſa id feciſſe, ſeu illi dediſſe.* hoc postulat vs. ſequens,

Aeſonio juveni, quod rogat illa, damus.

Qui, pro ſolita poëtarum, *Ovidii* praeſertim, conſuetudine, praecedentem explicat. praecipue vero in hanc me opinionem induxit *Apollon. Rh.*, quem conſule a v. inde 64, L. III, ubi ita Medea,

Ἔμπα γε μὴν θεμένη κύνεον κέαρ, οὐκ ἔτ' ἄνευθεν
Αὐτοκασιγνήτης πειρήσομαι, εἴ κέ μ' ἀέθλῳ
Χραισμεῖν ἀντιάσῃσιν, ἐπὶ σφετέροις ἀχέουσα
Παισί, τό κεν μοι λυγρὸν ἐνὶ κραδίῃ σβέσσοι ἄλγος.

Conf. v. 710. ſeqq. nec dubitabis, Medeam id egisſe omni opera, ut auxilium magicamque opem Jaſoni expresſis verbis a ſe ſoror peteret, ut & amorem ſuum in Aeſoniden velaret, & quodcunque faceret, non eius, ſed ſororis causſa fecisſe videretur. V & v. 730. ſeqq. Unde & L. IV, 730, quum ad Circen luſtrationis ergo cum Jaſone pervenisſet, & alia ei narrat,

Ὡς τε κασιγνήτης πολυκηδέος ἤλιτε βουλαῖς.

Ead.

Ead. Ep. v. 150.

> Quum minor e pueris, jusſus *ſtudione* videndi,
> Conſtitit ad geminae limina prima foris.
> Hic mihi, mater *abi*, pompam pater, inquit, Jaſon
> *Ducet*, & adjunctos aureus urguet equos.

Primo verſu omnino ſic ſcribendum cum Cl. *Burmanno*; ſequenti autem diſticho quid inſit ſententiae, haud quaquam intelligo, niſi ſcribatur, *ades* — *ducit*. Imminentis mali ignarus puerulus, quum patrem eximie ornatum in curru conſpexiſſet, ſpectaculo laetus matrem ſui gaudii geſtit facere participem, atque inde alacris,

> —— Mater, *ades*! pompam pater, inquit, Jaſon
> *Ducit*, & adjunctos aureus urguet equos.

Ducit corrigendum eſſe, vel ſequens *urguet* unumquemque monere poterat. Licet enim, non ubique hanc temporum convenientiam poſtulandam eſſe, non neſciam (V. *Clarck.* ad *Homer.* Il. A, 37.) eſt tamen, ubi neglectam doleam; cujus rei unicum in praeſentia ex *Ovidio* exemplum ſufficiat. Am. III, 1, 57.

> Quid? quum me munus natali *mittis*, at illa
> *Rumpit* & appoſita barbara *merſit* aqua.

Ubi, quum *mittit* — *rumpit* recte ſit editum poſt *Heinſium*, eadem opera *mergit* fuerat ſcribendum. In eadem Elegia, ut hoc addam obiter, recte vetuſtae Edd.

> Munus *habes*, quod te jam petit iſta, meum.

Pro quo, ne monito quidem Lectore, in utraque Ed. ſua *habet* ſubſtituiſſe nollem *Burmannum*.

Heroid. III, 43.

An miferos triftis fortuna tenaciter urguet,
Nec venit inceptis mollior aura meis?
Diruta Marte tuo Lyrnefia moenia vidi:
Et fueram patriae pars ego magna meae.
Vidi ego confortes pariter generisque necisque
Tres cecidisfe: tribus, quae mihi, mater erat.
Vidi ego, quantus erat, fufum tellure cruenta,
Pectora jactantem fanguinolenta, virum, &c.

Haec fcribenti obverfabantur Poëtae illa Homeri Il. T, 290. feqq. Ubi Brifeis Patrocli deflens mortem

Ὣς μοι (φησὶ) δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί.
Ἄνδρα μὲν, ᾧ ἔδοσάν με πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Εἶδον πρὸ πτόλιος δεδαϊγμένον ὀξέϊ χαλκῷ.
Τρεῖς τε κασιγνήτους, τούς μοι μία γείνατο μήτηρ,
Κηδείους, οἳ πάντες ὀλέθριον ἦμαρ ἐπίσπον· κ. τ. λ.

De formula vero κακὰ πρὸς κακοῖς (quam reddebam *Euripidi Troas.* v. 617, antequam a *Musgravio V. C.* jam reftitutam esfe e MSS. me monuerat *Cl. Segaar*) praeter *Clarck.* ad hunc *Homeri* locum, videri potest *Valcken.* ad *Phoen.* v. 453.

Heroid. VII, 57.

Nec violasfe fidem tentantibus aequora prodest.
Perfidiae poenas exigit iste locus.
Praecipue quum laefus amor: quia Mater Amoris
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.

Defidero judicium Poëtae. quid enim? an oblita erat Dido, quum oftenfo hoc a Venere periculo, ne per hiemem navigaret, deterrere conabatur Aeneam, illum

Veneris esse filium, & eius quidem Veneris, quae nihil studeret magis, quam ut in Italiam sospes suus perveniret Aeneas? *Φαῖμεν ἂν ταῦτα; ἤ πῶς;*

Heroid. VIII, 3.

Pyrrhus Achillides animosus *imagine* patris.

Pertinet hic locus ad illa, in quibus Poëtae mores sui temporis, suaeque civitatis, alii aevo aliisque gentibus accommodant. Romanam enim consuetudinem, proavorum nobilium imagines in atrio collocandi, aperte innuit; quamquam non ignoro, maiorum imagines ex aere in Adrasti atrio ponere *Statium* Th. II, 215. —— Simile quid in Seneca Tragico Agam. 388. (ubi ferrum laureatum, Romano more rei laetae signum, uti contra tristis pinnatum) notavit *Markl.* ad *Stat* S. p. 245. conf. *Stanl.* ad *Aesch.* Pers. v. 203.

Ead. Ep. v. 54.

—— juguloque Aegysthus aperto
Tecta cruentavit, quae pater ante tuus.

Orestes apud *Sophocl.* Electr. v. 1525. roganti Aegystho cur in publico non occideretur, respondet,

—— χώρει δ' ἔνθά περ κατέκτανες
Πατέρα τὸν ἀμὸν, ὡς ἂν ἐν ταὐτῷ θάνῃς.

Heroid. V, 43.

Non ego sum *furto* tibi *cognita*.

Bene facit *Burmannus V. C.*, qui *furto* vindicat pro *furtim.* quod vero Idem *τὸ furto cognita* illustrat illo Am. II, 8, 3.

Et mihi jucundo non rustica *cognita furto.*

Non nihil vereor equidem, ut is locus huc faciat. Tu compara potius *Justin.* V, 2. *cognita re Alcibiades per uxorem Agidis regis*, quam adulterio cognoverat. adde eumdem *Justin.* XXII, 1. *cognoscere* ἁπλῶς *Ovid.* infra v. 133. Sed hoc nemo nescit, unde & *τὸ cognitus* apud *Propert.* II, 22, 33 sic exponere amem cum *Cl. Ruhnkenio.* —— insolentius est, quod apud *Trebel. Poll.* legas de Zenobia, Hist. Aug. T. II. p. 33 *cuius ea castitas fuisse dicitur*, *ut ne virum* suum *quidem* sciret, *nisi tentatis conceptionibus.*

Heroid. IV, 57.

Pasiphae mater *decepto* subdita *tauro.*

Abutitur tauro hoc decepto, egregii caeteroquin Critici exemplum, *Marklandus* ad *Stat.* S. p. 77 dum *decipientem simulantemque* interpretatur (vaccam videlicet cogitans, cui inclusa Pasiphae decepit taurum) eoque *decepta fulmina* apud *Statium* poni pro *decipientia* probare nititur.

Heroid. V, 57.

Utque celer venias, virides Nereidas oro.
Scilicet ut venias in mea damna celer.
Votis ergo meis alii rediture redisti?
Hei mihi pro dira pellice blanda fui.

Senecam H. O. v. 292 bene comparat *Heinsius.* profecisse autem videri potest Poeta a *Tibullo* suo I, 5, 17.

Omnia persolvi, fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.

Ead. Ep. Paulo ante v. 33.

Illa dies fatum miserae mihi dixit: ab illa
Pessima mutati coepit amoris *hiems*.

Euripid. Jon. v. 966.

Οἴ μοι δόμων σῶν ὄλβος ὡς ΧΕΙΜΑ'ΖΕΤΑΙ.

De quo verbo, Atticis in primis scriptoribus tum propria tum metaphorica significatione usitato, Conf. Ill. *Spanhem.* ad *Aristoph.* Ran. v. 364, ubi & χείμονα, ut hoc loco *hiemem*, pro *calamitate* usurpatam videbis ab *Aeschylo* Prom. v. 1014. conf. *Klotz. V. C.* ad *Tyrt.* p. 125. Nec dissimilis ratio τοῦ σαλεύειν. V. *Bergler.* ad *Aristoph.* Ran. v. 716. —— Caeterum pulchre hoc *Ovidii* loco utitur *Bentleius*, ut *Horatio* suo od. IV, 10. *brumam* pro *pluma* vindicet.

Heroid. IV. 75.

Sint procul a nobis juvenes ut femina comti.
Fine coli modico forma virilis amat.

Concinit illud Electrae apud *Euripid.* in Tragoedia cognomine v. 948.

—— Ἀλλ' ἐμοί γ' εἴη πόσις
Μὴ παρθενωπὸς, ἀλλὰ τἀνδρείου τρόπου.

Neque abludit praeceptum illud *Pseudo - Phocylidis* v. 198 Ed. *Brunck.*

Μὴ μὲν ἐπ' ἄρσεσι παισὶ τρέφειν πλοκάμους ἐπὶ χαίτης
Μὴ κορυφὴν πλέξῃς, μήθ' ἄμματα λοξὰ κορύμβων.
Ἄρσεσιν οὐκ ἐπέοικε κόμη, χλιδαὶ δὲ γυναιξί.

Heroid. IX, 61.

> Nempe ſub his animam peſtis Nemeaea lacertis
> Edidit?

An exprimit locum *Ciceronis* Tuſc. Q. II, 9.

> O pectora! o Terga! o lacertorum tori!
> Veſtrone preſſu quondam Nemeaeus leo
> Frendens efflavit graviter extremum halitum.

Seneca H. O. 1235.

> Hiſne ego lacertis colla Nemeaei mali
> Eliſa preſſi.

Adi, ſis, laudatum *Marklando* ad *Stat. S.* p. 261, *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* III, 33, ubi plura de hoc Herculis facinore, uſitatisque in deſcribendo eo loquendi formis. Mihi apponere liceat elegans elegantisſimi inter Franco-Gallos poetaë *Malherbae*, in Puellam Aurelianenſem epigramma, quo mors eius cum morte Herculis comparatur. Reperitur illud inter *Malherbae* poëmata L. IV ſub finem.

> *L'Ennemi, tout droit violant,*
> *Belle Amazone, en vous brulant*
> *Temoigna ſon ame perfide:*
> *Mais le deſtin n'eut point de tort:*
> *Celle, qui vivoit comme Alcide;*
> *Devoit mourir comme il eſt mort.*

Ubi cultisſimi *Menagii* notas conſuluiſſe pigebit neminem. Ultima ſic nuper interpretabar.

> Quae forti Alciden referebat pectore virgo,
> Illa eadem Alcidae digna perire rogo.

Lucianus de morte Peregrini, Ὃς ἠσπάζετο τὸ πῦρ, ὡς Ἡρακλειόντι, is, inquit, dixerat, χρῆναι τὸν Ηρείακλως βεβιωκότα Ηρακλείως ἀποθανεῖν.

Am. I, 1, 18.

Adtenuat nervos protinus *ille* meos.

An?

Adtenuas nervos protinus *inde* meos.

Ut Amorem ad finem usque ſermonis alloquatur. *inde* jam *Heinſius* conjecerat. voces permutantur apud Avian. F. XXXI, 4. & alibi.

Am. I, 8, 15.

Nec, ſi quem fallas, tu perjurare timeto.
Commodat *illuſis* numina ſurda Venus.

Non *illuſis* ſed *illudentibus*, & quidem in re amatoria ſurdum numen commodare ſolet φιλομμειδὴς Αφροδίτη, quemadmodum

——— Perjuria ridet amantum.
Jupiter, & ventos irrita ferre jubet.

V. Epigr. XXVI *Callimachi*, cuius ſecundum diſtichon poëtis ſuis Gnomicis nuper inſeruit *Brunck*. p. 133. Protarchus apud *Platonem* in Philebo T. IV p. 319 Ed. *Bipont*. Ὡς δὲ λόγος, φησὶ, καὶ ἐν ταῖς ἡδοναῖς ταῖς περὶ τὰ Ἀφροδίσια, αἳ δὴ μέγισται δοκοῦσιν εἶναι, καὶ τὸ ἐπιορκεῖν συγγνώμην εἴληφε παρὰ θεῶν. ὡς, καθάπερ παίδων, τῶν ἡδονῶν νοῦν οὐδὲ τὸν ὀλίγιστον κεκτημένων. —— Quare omnino cum Cdd. ſcribendum, *in luſus*, & ſic laudare video locum ipſum *Burmannum* ad *Petron*. C. 3. — *luſus* autem de re amatoria & alibi ſaepius, & infra II, 3, 13.

Eſt etiam facies, ſunt apti *luſibus* anni.

Unde non improbem. Cl. *Burmanni Sec.* conjecturam, qua in *Stat.* S. I. 2, 100, pro *juvenum lapsus*, *lusus* corrigendum arbitratur ad *Propert.* I. 15, 5. V. Illum ad Anthol. T. II. p. 516 & ad *Propert.* II, 5, 3. Idem bene *lusu* (non *luxu*, quod probasse *Broekh.* male ait *Burmannus*) videtur edidisse apud *Propert.* II, 23, 79.

Am. II. 4, 2.

> Confiteor; *si* quid prodest delicta fateri;
> In mea *nunc* demens crimina fassus eo.
> Odi, nec possum cupiens non esse, quod odi.
> Heu quam, quae studeas ponere, ferre grave est!

Ita editur. vix tamen dubito, quin scribendum sit,

> Confiteor; *sed* quid prodest delicta fateri,
> In mea *nam* demens crimina fassus eo.

Nihil, inquit, *prodest fateri*, *nam ad eadem semper redeo crimina.* — *Sed* est in duobus libris & Ed. prima. *Nunc* & *nam* facile permutata; *nunc* certe & *num* & alibi confusa, & apud Liv. VII, 6, 11. — *quum* tamen pro *nunc* scribendum potius videbatur Viro cuidam Clarissimo.

III. Am. 4, 37.

> Rusticus *est* nimium, quem laedit adultera conjux,
> Et notos mores non satis urbis *habet*.

Nisi γνωμικῶς prolata haec dicas, *es* & *habes* corrigendum arbitrabor; toto enim carmine virum ipsum alloquitur.

Am. II, 5, 33.

> —— At illi
> Conscia purpureus venit in ora rubor,

Quale quod (v. 40.)

Maeonis Asſyrium femina tinxit ebur.

Achil. Tat. L. I. p. 8. λευκὴ παρεία, τὸ λευκὸν εἰς μέσον ἐφοινίσσετο, καὶ ἐμιμεῖτο πορφύραν, ΟἼΑΝ 'ΕΙΣ ΤΟ'Ν 'ΕΛΕ'ΦΑΝΤΑ ΛΥΔΙ'Η ΒΑ'ΠΤΕΙ ΓΥΝΗ'.

Ar. Am. I, 144.

Rex populo praedae *ſigna petenda* dedit.

Mirum loquendi genus non tueor equidem, id tantum dico, non disſimili ratione loquutum videri *Avianum* F. VII, 10.

Quae facili motu *ſigna cavenda* darent.

Ar. Am. II, 373.

Sed neque fulvus aper media tam ſaevus in ira,
Fulminea rabidos quum rotat ore canes:
Nec lea, quum catulis lactentibus ubera praebet:
Nec brevis ignaro vipera laeſa pede:
Femina quam, ſocii deprenſa pellice lecti,
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.
In ferrum flammasque ruit, poſitoque decore
Fertur, ut Aonii cornibus icta Dei.

Comparare amo cum pulcherrimo hoc loco illa Medeae apud *Euripid.* Med. v. 263.

——— Γυνὴ γὰρ, τἄλλα μὲν φόβȣ πλέα,
Κακὴ δ' ἐς ἀλκὴν, (f. αἰχμὴν) καὶ σίδηρον εἰσορᾶν·
Ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
Οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα.

Et illa Chori apud Eumd. Androm. v. 181.

Ἐπίφθονόν τι χρῆμα θηλειῶν ἔφυ,
Καὶ συγγάμοισι δυσμενὲς μάλιστ' ἀεί.

Metam. II sub finem egregia est descriptio Europae tauro vectae, *pavet*, inquit Poëta,

—— Pavet haec, litusque ablata relictum
Respicit, & dextra cornum tenet, altera dorso
Imposita est: tremulae sinuantur flamine vestes.

Comparari meretur depicta pulcherrime Europae fabula apud *Achil. Tat.* initio L. I, ubi p. 5. *αἱ χεῖρες ἄμφω διετέταντο, ἡ μὲν ἐπὶ κέρας, ἡ δὲ ἐπὶ ὀυράν — ὁ δε κόλπος τοῦ πέπλου πάντοθεν ἐτέτατο κυρτούμενος, καὶ ἦν* ΟΥ'ΤΟΣ *ἄνεμος τοῦ ζωγράφου·* quo in loco non negligenda *Cl. Wassenberghii* correctio ad *Homer.* Paraphr. p. 53. ΟΥ'ΡΟΣ *ὁ ἄνεμος* reponentis. —— conf. *Lindenbr.* ad *Ammian. Marcel.* p. 202. & omnino *Lucian.* Dial. Mar. 15.

Met. III, 10. in Oraculo Cadmo dato,

Bos tibi, Phoebus ait, *solis* occurret in arvis.

Cd. *Junianus* apud *Burm. mediis*, unde suspicari quis posset, *Phlegyis* scripsisse *Ovidium*, quum τῶν Φλεγύων diserta fiat mentio in hoc oraculo apud Schol. *Eurip.* ad Phoen. v. 641. & Schol. *Aristoph.* ad Ran. v. 1266, quo utroque in loco v. 1. pro ΦΡΑ'ΖΕΟ δή ΜΟΙ' μῦθον, forte corrigendum ΦΡΑ'ΣΩ δή ΣΟΙ' μῦθον. —— De *Phlegya* Boeotiae urbe V. *Stephan.* in v. & ibi *Holsten.* conf. *Pausan.* in Boeoticis p. 596. seq. Ed. Sylburg.

Eod. v. 704.

Ut fremit acer equus, quum bellicus aere canoro
Signa dedit tubicen, pugnaeque adsumit amorem.

Fundus comparationis, qua usus & *Valer. Fl.* II, 385, est *Aeschyl.* locus E. E. Θ. 399.

> Ἵππος χαλινῶν δ᾽ ὣς κατασθμαίνων, μένει,
> Ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὁρμαίνει μένων.

Metam. IV, 226. Apollo ad Leucotheen,

> Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum,
> Omnia qui video, per quem videt omnia tellus,
> Mundi *oculus.* mihi, crede, places.

Eleganter, &, ut opinor, vere Ill. *Heinsius*,

> Mundi *oculis*, mihi crede, places.

Ad illustrandum vero, praeter *Macrob.* I. S. 21, a *Burmanno* adductum, idoneus admodum est locus *Aristoph.* Nub. 284.

> Ὄμμα γὰρ αἰθέρος ἀ-
> -κάματον σελαγεῖται,
> Μαρμαρέαισιν ἐν αὐγαῖς

Ubi Scholiast. Ἔοικε δε λέγειν τὸν ἥλιον· ἐπεὶ γὰρ οἱ Τραγικοὶ εἰώθασι ὀφθαλμὸν ὀνομάζειν αὐτὸν, τοιαύτη δόξα ἐςὶ παρὰ τοῖς φιλοσόφοις, ὄμμα αἰθέρος καλεῖν τὸν ἥλιον· Conf. *Elmenh.* ad *Appul.* p. 23. Ed. *Oudend.* cuius pars prima, quam magno Cl. *Ruhnkenii* beneficio nuper accepimus, ingens alterae partis desiderium movet. —— Hinc Auctor Hymni *Hom.* in Cer. v. 62. *solem* vocat θεῶν σκοπὸν ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν· Conf. illic *Ruhnken.*

Metam. V, 157.

> Circumeunt unum Phineus, & mille sequuti
> Phinea. tela volant, hiberna grandine plura,
> Praeter utrumque latus, *praeterque & lumen & auras.*

Klotfius, vir elegantisfimus, Mifc. Crit. c. VI. corrigit, *praetexunt lumen & auras;* contortum praefatus *lumen* poni pro *oculis*, & mire dictum esfe, *tela volitasfe praeter oculos.* Vulgatam, quod pace fiat Viri Cl., non muto equidem, praeterquam enim quod in *atrio res* gerebatur (V. v. 3.) *lumen pro oculis* & alibi Poëta pofuit & infra VI, 515. de Tereo Philomelam fpectante,

— Nusquam *lumen* detorquet ab illa.

Sic *lucem Rutil.* It. I, 166. — *Tela* vero *volitare praeter oculos* non ita mire dici probat *Euripid.* Suppl. v. 851.

Λόγχης ἴσωσιν πρόσθεν ὀμμάτων πυκνῆς·

Metam. X, 524. Adonis, Myrrhae ex Cinyra patre filius,

Jam placet & *Veneri*, matrisque ulcifcitur ignes.

Oblitus videtur fui Poëta; fupra enim v. 311. non Cupidini, adeoque nec Veneri, fed Furiarum uni tribuebat incestum Myrrhae amorem. V. locum.

Fast. II, 739.

Ecce *nurum* regis, fufis per colla coronis,
Inveniunt pofito pervigilare mero.

Quum tanta fit fimilitudo *Livianae Nafonianaeque* narrationis, vix dubito, quin *nurus* Poëta dederit. V. Liv. I, 57 § 9. quisque fuam laudaverant; vero fimile igitur, quemque fuam adiisfe comitantibus caeteris.

Eod. v. 769. Juvenis Tarquinius, vifa Lucretia,

Carpitur adtonitos abfentis imagine fenfus
Ille: recordanti plura magisque placent.

Sic ſedit: ſic culta fuit: ſic ſtamina nevit:
  Neglectae collo ſic jacuere comae:
Hos habuit vultus: haec illi verba fuere:
  Hic decor, haec facies, hic color oris erat.

Elegantisſimi loci venuſtatem nemo, opinor, non & ſentit & miratur. Num tamen vulgo notum? expresſum esſe ex *Apollonio Rh.* III, 453. ſeqq. ubi ſermo de Medea, postquam & Jaſon & Socii *ἤεσαν ἐκ μεγάροιο*,

Προπρὸ δ' ἄρ ὀφθαλμῶν ἔτι οἱ ἰνδάλλετο πάντα.
Αὐτός θ' οἷος ἔην; οἵοισί τε φάρεσιν ἕστο,
Οἷά τ' ἔειφ', ὥς θ' ἕζετ' ἐπὶ θρόνου, ὥς τε θύραζε
Ἤϊεν· Οὐδέ τιν' ἄλλον ὀΐσσατο πορφύρουσα
Ἔμμεναι ἀνέρα τοῖον· ἐν οὔασι δ' αἰὲν ὀρώρει
Αὐδή τε μῦθοί τε μελίφρονες, οὓς ἀγόρευσε.

Virgilius ſimplicisſimo dixerat, Aen. IV. initio,

—— Haerent infixi pectore vultus
Verbaque.

Et v. 83.

—— Illum abſens abſentem auditque videtque.

Conf. *Stat.* Th. XII, 187. ſeqq. Nimirum, ut bene *Achill. Tat.* p. 123. *τὴν ψυχὴν πᾶσαν ὁ Ἔρως καταλαβὼν οὐδὲ αὐτῇ χώραν δίδωσι τῇ τροφῇ, ἡ δὲ τῆς θέας ἡδονὴ διὰ τῶν ὀμμάτων εἰσρέουσα τοῖς στέρνοις ἐγκάθηται, ἕλκουσα δὲ τοῦ ἐρωμένου τὸ εἴδωλον ἀεὶ ἐναπομάσσεται τῷ τῆς ψυχῆς κατόπτρῳ, καὶ ἀναπλάττει τὴν μορφήν, ἡ δὲ τοῦ κάλλους ἀπορροὴ δι' ἀφανῶν ἀκτίνων ἐπὶ τὴν ἐρωτικὴν ἑλκομένη καρδίαν ἐναποσφραγίζει τὴν σκιάν* —— Pulchre ad Veterum normam M. de Florian Numa Liv. II. „ *Ses yeux* (ceux de Numa aprés qu'Herſilie l'a quitté) *reviennent ſur cette pla* *, qu'Herſilie a occupé; ils ne peuvent s'en*

détourner : Numa croit l'y voir encore ; il croit encore l'entendre. Chaque mot, qu'elle a dit, retentit à son oreille; chaque geste, qu'elle a fait, lui est retracé par son imagination. Cet air grand & majestueux, cette taille si haute & si noble, & ces longs cheveux noirs, & ces traits si fiers & si beaux, tout est présent à Numa. Leur image plus belle encore s'est gravée au fond de son cœur, & se refléchit dans tout ce qu'il voit." — Qui idem Vir disertissimus & alia Veterum loca in elegante illo opere feliciter expressit, ut *Liv.* III. *Homer.* Il. π, 80. seqq. & *Liv.* IX. *Virg.* VI. 190. seqq. —— Et haec quidem in gratiam rei poëticae studiosorum, paullo prolixius. nunc, misso in praesentia *Ovidio*, ad alios pergamus.

CAPUT V.

Statius.

Quum haud ita pridem *Papinii Statii*, insignis magniloquentiae Poëtae carmina semel iterumque perlustrarem diligentius, nonnulla & in Silvis, licet maximam in illis perpurgandis operam consumserint & *Gronovius & Marklandus*, οἱ κριτικώτατοι, & in Thebaide, quae brevi forsan se dignum nanciscetur vindicem, notanda videbantur. illa hoc capite proponam. Silvarum igitur I, 2, v. 54.

Fulcra torosque Deae tenerum premit agmen Amorum;
Signa petunt, *quas* ferre faces, quae pectora figi
Imperet.

Puto *qua*.

S. II, 1, 67.

Muta domus, *fateor*, desolatique penates,
Et situs in thalamis, & moesta silentia mensis.

Ineptum esse *τὸ fateor*, haud difficulter mihi persuadet *Marklandus*; vix tamen ausim cum eo corrigere *pariter*, quum propius sit scribere *facies*, ut *facies domus*, *loci* &c. Saepius apud *Ovidium*, *&* *vultus domus* apud eumdem Trist. III, 8, 9.

Desertaeque domus vultum, memoresque sodales.

S. II, 2, 141.

—— sic perge, nec unquam
Emeritam in *nostras* puppim demitte procellas.

Procellas notas, *quas expertus sit*, malit *Markland*. Voces quidem & alibi permutantur. V. *Burm.* ad *Propert.* I, 7, 23. hic tamen vulgatum servo, praecessit enim,

At tua securos portus, blandamque quietem
Intravit *non quassa* ratis.

Ubi, ut hoc addam obiter, *intrare quietem* non alia ratione dictum, quam illud *Propertii*, *intrare leges*, de quo supra —— *Nostrae* autem *procellae* sunt, *quibus nos*, *reliquum vulgus*, *jactamur* V. v. 129 Seqq.

S. II, 3, 73.

Hac longum florens animi, morumque juventa
Iliacos aequare senes & *vincere* persta,
Quos pater Elysio, genitrix quos detulit annos.

An, *vivere? eos etiam annos vive, quos vivere debuisfent & pater & mater, fi ad fenectutem pervenisfent.* conf. *Barth.* Nifi & fic accipias vulgatum.

II S. 6, 11.

——— cui maior *ftemmate juncto*
Libertas ex mente fuit.

Primo *cuncto* videbatur fcribendum, dein *longo* fufpicai ar ex *Juven.* VIII, 1. & XIII, 207. & Auctore Epigrammatis *Anthol. Burm.* T. II p. 168 vs. 5.

Maiorum *longa* veniens de *ftirpe* fenator.

Ut bene illic pro *maior enim* correxit *Schraderus* V. C. — Fors tamen mutare nihil praeftiterit, & *junctum ftemma* cum *Gronovio* Obsf. II, 3. exponere, *longa maiorum ferie continuatum*, praefertim quum non diverfa ratione ΣΤΣΤΕΛΛΟΜΕ'ΝΟΤΣ ΠΡΟΓΟ'ΝΟΤΣ *Euripides* dixerit Troaf. v. 108.

Ejusdem carminis v. 90.

——— Nec quod tibi Setia canos
Reftinxit cineres, gremio nec lubricus offa
Quod vallavit onyx, miferis acceptius umbris,
Quam gemitus: *fed & ipfe juvat. quid* terga dolori,
Urfe, damus? quid damna foves? & pectore iniquo
Vulnus amas? &c.

Marklandus corrigit,

——— umbris.
Quin gemitus *fedare* (vel *fedasfe* juvat, quid &c.

Et fane tranfit ad confolationem Poëta. Maior tamen haec

haec si cui videatur mutatio, is scribere poterit,

——— umbris,
Quam gemitus: sed & ipsejuvat. — *Quin* terga dolori,
Urse, damus?

Quin fugimus dolorem? nisi *terga dolori dare* accipere mavis, pro *ab eo superari*, *illi vincendo imparem esse*, quod sane verius videtur.

S. III, 2, 48.

——— Donec *sua*, turbine nullo,
Laeta Paraetoniis adsignet carbasa ripis.

Sic scribendum, non *tua*, clamat orationis series.

S. III, 3, 90.

——— Quod messibus Afris
Verritur.

Adhaeret Horatio Od. I, 1.

Quidquid de Libycis verritur areis.

S. III, 5, 65.

Sive chelyn complexa ferit, seu voce paterna
Discendum Musis sonat.

Marklandus, humile hoc nimis causatus, *livendum* corrigit, quod equidem magniloquentiae *Statianae* convenire non abnuo. Fors tamen Poëtae animo obversatum fuit illud *Horatii* notissimum,

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite, posteri,
Nymphasque *discentes*.

Id autem verbum proprium esse atque elegans in hac re, nemo nescit. Conf. tuentem etiam hoc loco τὸ *discendum* Cl. *Burman.* ad *Propert.* II, 2, 29.

Ej. V. 87.

> Nulla foro rabies, aut *strictae* jurgia *leges*
> *Norunt*: jura viris solum & sine fascibus aequum.

Ita corruptissimum locum pulchre restituit *Marklandus*. *Strictae* tamen *leges* nonnihil (ut verum fatear) mihi displicent, licet *artas*, *nodosas* exponere illas sciam *Bentl.* ad *Horat.* A. P. v. 423, multaque illic de hoc loquendi genere erudita, qui perpetuus illi mos est, proferre in medium. Usus eo, quod *Marklandus* attulit, bono scribere gestio,

> ——— Aut *fixae* jurgia *legis*
> *Norunt*.

Viri scilicet, qui mox sequuntur; ut *fixa lex* opponatur *juri non scripto* seu *simplici aequitati*. V. Intpp. ad *Ovid.* M. I, 91. —— Caeterum citatis in hanc sententiam a *Marklando* locis addi potest illud *Justini* II, 2. de Scythis. *Justitia gentis ingeniis culta, non legibus.*

Ej. v. 105.

> Mille tibi nostrae referam telluris amores.
> Sed fatis *hoc*, conjux, fatis *hoc* dixisse, creavit
> Me tibi. &c.

Libenter scribam,

> Sed fatis *haec*, conjux, fatis, *haec*, dixisse, creavit
> Me tibi.

S. IV. Praef. *moram arenarum* quod tuetur *Marklandus*, facit egregie. *Ovid.* Heroid. X, 20.

Alta puellares *tardat arena* pedes.

S. IV, 4, 70.

— propriis tu pulcher in armis
Ipſe canenda geres, patriaeque exempla parabis.
Magna *geres:* dignoſque etiam num belliger actus
Poſcit avus, *praeſtatque* domi noviſſe triumphos.

Corrupta haec eſſe, facile adſentior *Marklando*, quippe quod & repetitum geres, & perturbata orationis ſeries ſatis oſtendunt. Reponit autem vir acutiſſimus, *magna pater* &c. in reliquis ἐπέχει. Audaciore nuper conjectura ſcribebam,

Ipſe canenda geres, patriaeque exempla parabis
Magna. *Senex* dignos etiamnum belliger actus
Poſcit avus, *reſtatque*, domi noviſſe triumphos.

Reſtat, remanet, moratur fati diem, mortem πρὸς τὸ noviſſe, ut domi triumphos videat. Ovid. Heroid. I, 113.

Reſpice Laerten, ut *jam* ſua lumina condas,
Extremum fati ſuſtinet ille diem.

Ubi parum abeſt, quin corrigendum ſuſpicer, *ut nam*, quam particulam ſecundo etiam loco poni poſſe a *Bentleio* didici ad *Horat.* S. II, 6, 78. vel, ſi hoc diſplicet in *Ovidio*, *ut enim.* — Niſi *patris* mentionem in loco *Statii* (nam illuc revertor) requirere dicas ſequentia, adeoque malis,

— Parabis.
Magna *pater*, dignoſque etiam num belliger actus
Poſcit avus, *reſtatque*, domi noviſſe triumphos.

V. S. 1, 18.

Sed quum plaga recens, & adhuc in *vulnere* primo
Nigra domus queſtu, *miſeramque* accesſus *ad aurem*
Conjugis *orbati.*

Marklandus, pro *vulnere*, *funere*, pro *nigra* reponens *aegra*, ultima fatetur ſe non intelligere; neque intelligo equidem. poſſet ſcribi, *nullique acceſſus ad aurem C. o.* Vel audacter magis,

——— *Miſeroque* accesſus *ad urnam*
Coniugis *orbato.*

Dum miſer orbatus accedere ſolebat ad urnam (ſive *ſepulcrum* mavis) *uxoris identidem.*

S. V, 1, 127.

Parva loquor: tecum gelidos comes *illa* per Arctos,
Sarmaticasque hiemes, Iſtrumque & pallida Rheni
Frigora, tecum omnes animo *durata* per aeſtus,
Et, ſi caſtra darent, vellet geſtare pharetras.

Difficilem conſtructionem ſentiens *Marklandus* emendat *durare*, quod, probatum, ut videtur, *Burmanno* ad *Propert.* I, 3, 39, etiamſi non ſperno, malim tamen primo verſu corrigere,

——— Tecum gelidas comes *ire* per Arctos.

Quae facile mutata. v. *Heyn.* ad *Tibul.* II, 6, 2. *ulla* & *ire* apud *Ovid.* M. V, 631. *tecum comes ire* pro uſitato *tibi*, ut Theb. VIII, 512.

——— Ipſa heu comes invia *mecum*
Tartara, ni ſuperos Acheron excluderet, *iſſes.*

Ej. v. 262.

— *certe* jurant in vota ſorores.

Marklandus, *certae*, mihi, obvia, fateor, correctione, *ternae* ſcribendum videbatur.

V, 2, 81.

Infeſtare *juvat* manes, meritoque precatu
Pacem auferre rogis: ſed te, puer optime, cerno
Flectentem *juſſis*.

Marklandus & *Gronovius* ediderunt *libet* & *juſtis*, exponitque Ille, *alius lubenter & ultro infeſtaret manes — ſed tu ea es pietate, ut eos ſollemnibus funebribus colas ac flectas*: quae tamen ſententia quomodo ex Poëtae verbis, licet, ut volunt, correctis, posſit elici, vix video. Mihi ſana videtur vulgata. *Vellem*, *inquit*, *dira precari manibus tam dirae matris*, *ſed te video me*, *meamque indignationem flectere ac mollire juſſis illis*, quae ſtatim ſubjiciuntur a verſu inde 84. conf. *Barth.*

Ejusd. vs. 134.

— An aeſtiferis Libyae ſudabis *in arvis*.

Quum *Libyae arenae* Poëtis frequentisſimae ſint, ut *Ovidio* Metam. IV, 611. *Lucano* II, 417. *Claudiano* Conſ. Honor. IV, 436, quibus addi plura posſunt e notis *Bentleii* ad *Horat.* III. od. 4, 31; atque adeo *incenſas Libyae arenas* dixerit idem *Claudian.* II. in Ruf. 242. (niſi illic *inacceſſas* ſcribendum cum *Burmanno* ad *Propert.* I, 6, 3.) & Libya fecundum Dionyſ. Perieg.

— Διψήρη τε καὶ αὐχμήεσσα τέτυκται.

Quare *torretur Libye* bene Silio I, 194. vindicat cum *Heinſio Drakenborghius*, quid q id contra dicat nuperus

Editor *Lefeburius*, argumentis ufus parum idoneis ad probandum. licet *Polybius* XII, 1. non immerito reprehendat *Timaeum*, qui tradiderat, *Libyam omnem ἄμμωδον καὶ ξηρὰν καὶ ἄκαρπον εἶναι* —— Haec, inquam quum ita fint, non repofuisfe miror *Marklandum*,

—— An aeftiferis Libyae fudabis *arenis*;

Facili praefertim conjectura, quae mihi placeret admodum, nifi vulgatam tueretur *Lucanus* I, 205,

—— Sic quum fqualentibus *arvis*
Aeftiferae Libyes.

Unde quis, mutandi cupidus, contendere posfet, Statium fcripfisfe,

—— *Aeftiferae Libyes* fudabis *in arvis*.

S. V, 3, 266.

Felix ille patrem vacuis circumdedit ulnis,
Vellet & Elyfia quamvis in fede locatum
Abripere & Lanaas iterum portare per umbras;
Tentantem & vivos molitum in tartara gresfus
Detulit infernae Vates longaeva Dianae:
Si chelyn Odryfiam pigro tranfmifit Averno
Causfa minor: fi *Thesfalicas Admeton in oras*,
Si conjux retro Phylaceida retulit umbram:
Cur nihil exoret, genitor, chelys aut tua manes
Aut mea?

Felix ille, quis? Aenean intelligi, patere, dices, e feqq. Audio. fed, nifi in re Critica augurium vani me magiftri docuerunt, fcribendum, *fi Phryx ille*, ut mox, *fi chelyn*, *fi Admeton*, *fi conjux*. Quibuscum

amice conſpirat Virgilii locus, quem in animo videtur habuiſſe Papinius, Aen. VI, 119.

Si potuit manes arcesſere conjugis Orpheus,
Si Fratrem Pollux alterna morte redemit; &c.
——— Et mî genus ab Jove ſummo.

Phrygem Aeneam Propert. vocat IV, 1, 2. & *Anchiſen Ovid.* Heroid. XVI, 201. De eo tamen ſi dubites, ſubſtituas aliquid verius, modo τὸ *ſi* requiri fatearis. *Marklandi* quidem ſagacitatem fugisſe perſpicuum adeo mendum, demiror, qui caetera praeclare correxit (niſi v. 273. praeferas Ill. *Heinſii*, aut elegantisſimi *Santenii* conjecturam, quas videre est apud *Burm.* ad *Propert.* I, 19, 5.) ac bene quoque *detulit* ſcribendum asſerit contra *Gronovium*, qui *depulit*; ſenſus enim loci hic est. *ſi Aeneas amplexus est umbram patris, amplecti certe conatus est, unde* vacuas *dicit* ulnas, Aen. VI, 700, *ipſumque adeo abripere optavit ab inferis, quod quum tentaret, & vivus eo deſcenderet* detulit illum, *viam deſcendenti monſtravit Sibylla; ſi item alii hoc potuerunt, cur mihi non tantumdem liceat?*

S. V, 5, 3.

—— Quae veſtra, ſorores,
Orgia, Pieriae, quas inceſtavimus aras?
Dicite; post poenam liceat commisſa *fateri.*

Quomodo fateatur, quod ignorare ſe ait? diſcere vult, quo flagitio tantam Deorum iram meruerit, an? *doceri* — in corruptisſima hac Ecloga pluſculum ſe ſibi permiſisſe, dicit *Marklandus*, audacioris igitur

conjecturae reprehensionem non vereor. — Paullo post lubens scribam,

— Quae culpa? quis error?
Quid luimus?

Theb. I, 30.

— Maneas hominum contentus habenis,
Undarum terraeque potens, & sidera dones.

Docta est huius loci expositio, quam dedit ὁ πάνυ *Gronovius* Obss. III, 23. Vereor tamen non nihil, ut vera sit, quum fors scripserit *Statius*, *licet*

— magni cedat tibi Jupiter aequa
Parte poli, maneas hominum contentus habenis;
Undarum terraeque potens *huic* sidera dones.

Contentus terrae marisque imperio coelum concedas Jovi, Jupiter regnet te secundo, tuque

Hic ames dici pater atque princeps;
Is gravi curru quatiat beatas
Aetheris arces.

Eod. v. 283.

Finierat miscens precibus convicia Juno,
At non ille *gravis* dictis, quamquam aspera, motus
Reddidit haec.

τὸ gravis in mendo cubare, nemo, opinor, non sentit. Quid? si scribamus,

At non ille *gradu* dictis, quamquam aspera, *motus*.

ducto ab arena loquendi genere, de quo V. praeter-

Gebhard. ad *Nep.* Them. c. 5. & *Bos.* in Ind. quos laudat V. *Staver.* ad eumdem Nepotis locum.

Eod. v. 38.

Caerula quum rubuit Lernaeo ſanguine Dirce,
Et *Thetis*, arentes adſuetum ſtringere ripas,
Horruit ingenti venientem Iſmenon acervo.

De mari quum loquatur Poëta, *Tethyn* debuisſet ponere, non *Thetidem*, quas differre vel ſolus monſtret *Catulli* locus Epith. P. & Th. v. 28.

Tene *Thetis* tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene ſuam *Tethys* concesſit ducere neptem?

Monuitque post *Vosſium* A. G. II, 33. p. 282. & *Barth.* ad Achill. I, 29. *Burman.* ad *Lotich.* T. I. p. 127. Et hoc quidem loco facili correctione posſet reponi,

Tethys & arentes, &c.

Sed quid fiet alteri loco? S. III, 2, 73.

Ante rates pigro torpebant aequora ſomno,
Nec ſpumare *Thetis*, nec ſpargere ſidera fluctus
Audebant.

Num (quod, ſi vitium advertisſet, fors fecisſet *Marklandus*) num, inquam, correctum ibimus?

Nec *ſpuma Tethys*, nec ſpargere ſidera *fluctu*
Gaudebat.

Quid denique faciemus tertio? S. IV, 6, 18.

Nox & Erythraeae *Thetidis* ſignanda lapillis.

Quibus plura forsitan posfunt addi. Non melius certe *Claudian.* R. P. I, 148.

> Hinc latrat Gaetula *Thetis*.

Neque *Avienus* D. O. T. v. 193 & 211, licet is alibi bene obfervet difcrimen, ut v. 891 & 898, quemadmodum & Stat. Th. IV, 387. Neque aliter Graeci. apud *Lucianum* quidem Dial. Mar. XI. fub finem Θάλασσα Achillem vocat *υἱὸν* fuum, fed recte atque ordine fecisfe arbitror magnum *Hemfterhufium*, qui illic *υἱωνὸν* correxerit. Illo tamen fors Luciani loco deceptus non nemo *Tethyn* pro Achillis matre pofuit hoc difticho.

> Non fecus Haemonii juvenis fuccenfa calore
> *Tethys* in amplexus dicitur isfe novos.

Cujus modi erroribus, quos infectari non est noftrum,

> —— Veniam petimusque damusque vicisfim,

memores illius *Ariftophanei* Ran. 881.

> —— Λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει
> Ἄνδρας ποιητὰς, ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.

Eod. v. 270.

> —— Jam dudum ab fedibus illis
> Incipe, fluctivaga *qua* praeterlabitur unda
> Alpheus.

Puto *quas*.

Eod. v. 303.

> Paret Atlantiades dictis genitoris, & *inde*
> Summa pedum propere talaribus illigat alis.

Mira oratio; *paret patri Mercurius*, & deinde, postquam nimirum paruit, *talaria aptat pedibus*. Celeritatem in Mercurio Jovi obediente poëtam pulchre exprimere, bene monet *Barthius*; quare incommodum istud *inde* nemini displicuisse demiror. Suspicabar aliquando posse scribi,

——— *& uncta*
Summa pedum propere talaribus illigat alis.

Motus iis, quae habet *Hesych.* in λιπαροῖσι πόδεσσι, ubi conf. Cl. *Albertus.* — Scholiastes, quem debemus Cl. *Wassenberghio*, ad Il. B. 44. inter alias expositiones & hanc habet, ἢ προαλειφομένοις ἐν τῷ ὑποδεδέσθαι.

Th. II, 226.

Interior sacris calet & sonat aula tumultu
Femineo. casta *matres* cinxere corona
Argolides. *pars* virginibus circum undique fusae.

Quid cinxerunt, aut quem? an? *matrem* puellarum, Adrasti uxorem.

Eod. v. 316, seqq. Polynices, inquit, secum repetit diem illam, qua

Fratris Echionia steterat privatus in aula,

Respiciens dilapsos comites, nudum latus &c.

Tum quos excedens hilares, quîs cultus iniqui
Praecipuus ducis, & profugo quos ipse notarat
Ingemuisse sibi.

Ultima, quum pessime addantur praecedentibus, corrupta censeo, quamquam non habeo, quod reponam; nam si *irrisisse* dicam scribendum, audax nimium com-

mittam facinus, & tamen tale quid requiri sum certus, quod qui indicaverit ad vulgatam accedens propius, magnam a me inibit gratiam.

II. Theb. 474.

> ——— Ibi demum cuspide lata
> Haesit, & obnixo ferrum *laxavit* in armo.

Luxavit olim conjecerat, sed improbavit postea *Barthius*. mihi *lasfavit* scribendum videtur, quarum vocum perpetua est confusio. V. *Markland.* ad *Stat. S.* p. 257 & Laudd. *Klotsio* in Misc. Crit. p. 64. quemadmodum & permutari solent *lasfus*, *lapsus*, *laxus*. v. *Burm.* ad *Propert.* I, 1, 25 & II, 20, 2. quem conf. ad Anthol. T. I. p. 147. *latus* & *laxus*. V. *Bentl.* ad *Horat.* A. P. v. 209.

Theb. III, 96.

> Sed ducis infandi rabidae non hactenus irae
> Stare queunt. vetat igne *rapi*, pacemque sepulcri
> Impius ignaris nequicquam manibus arcet.

Puto *rogi*. *Vetare* pro *arcere* poni, docet *Gronov.* Obss. I, 5. additi casus sexti exempla dabit ipse *Papinius*. S. III, 3, 142.

> Dignatusque loco victricis & *ordine* pompae
> Non *vetuit*.

Qui tamen locus non nihil habet ambigui. clarius Theb. VII, 8.

> —— *Oceano vetitum* qua Parrhasis ignem
> Nubibus hibernis & nostro pascitur imbri.

Et, quod rem conficit, Theb. XII, 558.

Quos *vetat igne* Creon.

Eod. vs. 104.

Augur amate Deis, non te coeleſtia fruſtra
Edocuit, lauruque ſua dignatus Apollo eſt.
Et nemorum Dodona parens, Cyrrhaeaque virgo
Audebit tacito *populos ſuſpendere* Phoebo.

Probo *Marklandum* ad S. p. 46. *gaudere* pro *audere Statio* vindicantem, qua de re conferri poteſt *Burman.* ad *Propert.* I, 3, 23. Deinde vero emendandum ſuſpicor,

Te nemorum Dodona parens, Cyrrhaeaque virgo
Gaudebat tacito *populis oſtendere* Phoebo.

Ubi ſileret Apollo, te ut conſulerent, ſuadebat populis. Quemadmodum Theodamas, augur lectus in Amphiarai locum, ſic illum alloquitur, infra VIII, 335.

—— Tibi ſacra feram praeſaga, tuique
Numinis interpres *te*, *Phoebo abſente*, *vocabo.*

Theb. IV, 320.

Tu bellis *aptare* viros, tu pondera ferre
Martis, & enſiferas inter potes ire catervas.

Reſpexiſſe Poetam ad vs. praeced. 309., vult *Barthius.* ſuſpicor nihilo minus, a *Papinii* manu eſſe,

Tu bellis *aequare* viros.

Quippe quod convenientius reliquis, firmarique videtur enarratione priſca, quam *Barthius* exhibet; *tu te cenſes dignum, qui bella ſequaris, bellis te exerceas, quae ſolos viros flagitant atque ferunt.* Faciunt huc, quae mox ſequuntur,

—— Magnis conatibus inſtas &c.

Eod. v. 331. Atalanta,

Mirabar, *ait*, cur templa mihi tremuisſe Dianae
Nuper, & inferior vultu Dea viſa, ſacrisque
Exuviae *cecidere* tholis. *hinc* ſegnior arcus,
Difficilesque manus, nulloque in vulnere certae.

An? *cecidisſe*, & mox *hic δεικτικῶς*, *hic arcus*, *quem teneo manibus*. ſed obſtare fors inquies, quod *elapſa illi tela* dixit Poeta v. 310.

Eod. v. 500.

Atque hic Tireſias, nondum adventantibus umbris, &c.
Jam nequeo tolerare moram. *casſusne* ſacerdos
Audior? an rabido jubeat ſi Theſſala cantu
Ibitis? &c.

Verſum 503 faceſſere hinc jubet *Barthius*, quem equidem retineam lubens, modo, ſollemni epitheto, *castus* ſcribatur, quum requirere illum videatur oppoſitio inter Tireſiam caſtum vatem, & eos, quos auditos mox dicit. —— *Audior? an? Horat.* III. od. 4.

Auditis? an me ludit amabilis
Inſania?

Etheocles apud *Aeſchyl.* E. E. Θ. vs. 208.

Ἤκουσας, ἢ οὐκ ἤκουσας, ἢ κωφῇ λέγω.

Theb. V, 316.

Ac prope *moeſta* rogum *confuſis ignibus* adſto.

Ignes confuſos, novi, quomodo exponat *Barthius*; diu tamen eſt, quum τὸ *moeſta*, *confuſis crinibus* ſcriben-

dum esse, mihi persuadeat. patrem enim, quem interfectum a se simulabat, lugere licebat Hypsipylae, aeque ac caeteris, quibus, ubi remiserat furor,

— Licuit sentire, quid ausae,
Et *turbare comas*, & lumina tinguere fletu.

Eod. v. 357.

— Adverso risit Gradivus *in* Haemo.

An? *ab Haemo.*

Eod. 708.

— Pelago dat signa *cadenti.*

Cadendi omnino scribendum videtur cum *Barthio.*

Theb. VI, 931.

Quis fluere occultis *rerum* neget *omnia* caussis.

Ita recte, meo quidem sensu, *Bernartius*, caeteri fere *omina. Divina providentia regi*, ait, rerum omnia, sicut II S. 6, 9 *Fortunam*, dixerat, *miscere* rerum omnia, seu *res omnes*, noto Eruditis Graecismo, de quo, praeter alios, egit *Markland.* ad *S.* p. 95. & *Cuningh.* Anim. in Horat. *Bentl.* C. X p. 125.

Theb. VII, 84.

— Vidit pater altus, & ira
Jam levior, tardo flectebat pondere vultum.
Ut, si quando ruit, debellatasque reliquit
Eurus aquas, pax ipsa tumet, pontumque jacentem
Exanimis jam volvit hiems.

Lucanum Claudianumque bene comparat *Barthius.* At

quanto pulchior simplicitate sua *Ovidius* Fast. II, 775 de Tarquinio juvene,

> Ut solet a magno fluctus languescere flatu,
> Sed tamen a vento, qui fuit, unda tumet;
> Sic, quamvis aberat placitae praesentia formae,
> Quem dederat praesens forma, manebat amor.

Theb. VIII, 396.

> ——— Spatiis utrimque aequalibus acti
> Adventant, mediumque vident decrescere campum.
> Jam *clipeus* clipeis, umbone repellitur umbo,
> Ense minax ensis, pede pes, & cuspide cuspis.
> Sic *obnixa* acies, pariter *suspiria firmant.*

An? *clipei clipeis*; concinnius hoc certe. Mox *Barthium fumant* novi scribere, idque firmatum videri a *Lutatio*; dubito tamen, an lectum fuerit olim,

> Sic *obnixae acies* pariter *vestigia firmant.*

τὸ διάβαντες. V. *Klotz.* ad *Tyrt.* p. 70, & quos laudat, qui idem ad praecedentia meretur conferri p. 101, ut & *Rader.* ad *Curt.* III, 11, 4. ubi his *Statianis* utitur. —— Progredi utramque aciem praecedentibus versibus Poeta fecerat, nunc ambae simul consistunt. *firmare gradum* habes supra II, 261. *premere vestigia Virg.* Aen. VI, 331 & 389. *Val. Fl.* II, 454. *Suspiria* & *Vestigia* permutata videre licet apud *Burman.* ad *Propert.* I. 3, 9.

Eod. v. 484.

> Donec in Olenium fessa jam cuspide Buten
> Incidit. hunc turmis *obsessum* & abire *vetantem*
> Aggreditur.

Sen-

Senſum huius loci vix me, fateor, perſpicere, etiamſi *obverſum* ſcribas cum *Barthio* & *Gronovio*. an?

——— Hunc turmis *averſum* & abire *petentem*
Aggreditur.

Ut fugam *puer* meditatus ſit,

——— *ignaro* cui tunc Thebana bipennis
In galeam librata venit.

Et *non hoc metuens* inopino limite vita
Exſiluit.

Rem non multum disſimilem habes infra IX, 128, ubi *Lernaea Hippomedontis trabes & alios tranſabit*,

Atque Erycem: hunc *retro converſum* & tela petentem,
Dum ſpes nulla necis, crinito a vertice figit.

Eod. v. 510.

—— quoties ſudaverit aegis
Iſta mihi, duris famulus *dum caſibus* omnes
Luſtro vagus terras.

Verba ſunt Herculis ad Palladem, in quibus *dum* pro *quum* convenienter, credo, ſcripſi Latinitatis legibus. Voces confunduntur & alibi ſaepius, & apud *Horat.* S. II, 3, 211. Mox *jusſibus* forte corrigendum pro *caſibus*, Novercae videlicet & Euryſthei. V. *Markland.* ad S. p. 198.

Theb. IX, 217.

—— *Tumidumque* equitem post Tydea portes.

Ad ſtoliditatem Boeotorum alludi, ait *Barthius*, atque

eo ducere fateor Scholiastem. Fors tamen *Tyrium* Poëta scripserit.

Theb. X, 574.

> Nec non ancipitis pugnat sententia vulgi,
> Discordesque ferit motus. hi reddere *fratrem*
> Nec mussant, sed voce palam claroque tumultu
> Reddere regna jubent.

Scribendum esse *fratri* sequentia sunt argumento,

> —— Veniat, pactumque hic computet annum,
> Cadmeosque lares exul, patriasque salutet
> Infelix tenebras.

Mutarunt, credo, qui τῷ *jubent* accusativum, quem vocant, voluerunt additum.

Eod. v. 782.

> —— Hi sertis, hi veris honore *soluto*
> Accumulant artus.

Scribo *solutos*, artus videlicet. S. V, 1, 222.

> —— Illam tranquillo *fine solutam*
> Felicemque vocant.

Ubi *finis*, Graeco more, pro *morte*, ut *finire* Tacit. Ann. VI, 50. *Finiri Justin.* XXV, 3, 12. & *finire se* de Labeone sibi manus inferente *Seneca* praef. L. VI. Controv. cuius locum V. apud *Bentl.* ad *Horat.* I. S. 3, 82. —— *solvi* pro *mori* optimorum more. notum illud Ovidii,

> Quum moriar, medium *solvar* & inter opus.

V. *Burman.* ad *Propert.* I, 6, 26 & II, 7, 77. ——

Caeterum eodem modo locum corrigebat *Cl. van Kooten*, in epistola ad me. Non suboluisse autem hoc vitium, miror, *Bentleio*, quum hoc loco uteretur ad illustrandos *veris honores* apud *Horat.* od. XVII, 14. nec amicissimo mihi *Wakkero*, Amoen. Litt. c. 1 p. 3.

Theb. XI, 225 Emendandum videtur,

——— Illis haec moenia *servas*.

Pro *serva*, quod editur. *Fulmine in Capaneum misso non mihi soli servasti Thebas, sed Baccho quoque & Herculi*, adeoque & hi tibi debent gratias.

Eod. v. 605. Oedipus complexus filiorum cadavera haec ait,

Tarda meam pietas, longo post tempore, mentem
Percutis? estne sub hoc hominis clementia corde?
Vincis, me miserum, vincis, natura, parentem.
En habeo gemitus, lacrimaeque per arida serpunt
Vulnera. &c.

Postrema quum vix caperem, suspicabar corrigendum,

Vincis, me miserum, vincis, natura: *parentum*,
En, habeo gemitus.

Vel *parentis*, mutatione nulla, sensu perspicuo & elegante, quemadmodum *parentem*, *patrem*, *matrem* &c. frequenter poni pro illorum affectu & amore naturali in liberos, nemo nescit. *Ovidius* Metam. VI, 629 de Procne filium Ityn interfectura,

Sed simul ex nimia *matrem* pietate labare
Sensit.

Unde *exuere patrem*, & ſim. de quibus V. *Caper*. Obſſ. I, 8.

Eod. v. 645. *Flebilis Erigone*

—— Triſtem jam ſolvere nodum
Coeperat, & fortes ramos moritura legebat.

In exponendis prioribus verbis coecutiunt Enarratores priſci. *Coeperat jam nodum ſolvere*, *Zonam videlicet*, *unde laqueum erat factura*, non ſecus atque Europa apud *Horat*. III od. 27, 58, & Gordianus ſenex apud *Herodian*. VII, 9. conf. *Ovid*. R. A. v. 602 ſeqq. & *Stanl*. ad *Aeſchyl*. Suppl. v. 466. — Caeterum, ut hoc addam obiter, Latinus Herodiani Interpres miram nobis fabricatur aedificii formam, non animadvertens p. 178 L. IV c. 2. pro ὑπ' ἐκείνῳ δ'ἕτερον, corrigendum eſſe ἐπ' ἐκείνῳ.

Theb. XII, 548. Supplices Argivae ad Theſeum,

Non *externa genus*, dirae nec conſcia novae
Turba ſumus.

Vetus Scholiastes apud *Barthium*. *omnes nos ſumus indigenae Graeciae*. Sed unice ad illuſtrandum appoſitus eſt locus *Eurip*. Suppl. 263.

Ὁς Πέλοπος ἦν παῖς, Πελοπίας δ' ἡμεῖς χθονὸς
Ταυτὸν πατρῷον αἷμά σοι κεκτήμεθα·

Verba ſunt Adraſti ad Theſeum.

Achill. II, 78.

—— Venisſe Pelaſgûm
Ductores, Grajamque ratem, *Socioſque* receptos.

Jure pavent aliae, sed vix nova gaudia celat
Pelides.

Languet, admodum τὸ jure, quod tamen mutandum negat *Barthius*. alii *mira*, sed neque illud satis facit. scribo,

——— *Socioque* receptos
Jure; pavent &c.

Hospitio videlicet, de quo proprium τὸ *Socius*.

Eod. v. 115.

—— Montes spoliavimus *altos*.

Suspicetur forsitam aliquis, *alnis* scribendum, apta navibus materia, unde *alnum* pro *navi* & alii ponunt, & *Statius*. Neque insolens vocum confusio. V. *Markland.* ad S. p. 142.
Claudat caput conjectura, quam suo loco ponere sum oblitus. Theb. I, 681.

——— Tum motus Adrastus
Hospitiis (cognorat enim) quid nota recondis?

An?

—— Tum motus Adrastus,
Hospitibus (cognorat enim) quid nota recondis?

* * *
* *
*

CAPUT VI.

LUCANUS. CLAUDIANUS. SILIUS ITALICUS.

Postremo hoc capite e *Lucano*, *Claudianoque*, & *Silio* delibabimus paucula. *Lucanus* ergo I, 352.

Dixerat: at dubium non claro murmure vulgus
Secum incerta fremit: pietas, patriique penates
Quamquam caede feras mentes, animosque tumentes
Frangunt; sed diro ferri revocantur amore,
Ductorisque metu.....

Bentleius, ut e *Clercquio* disco Sp. I, p. 35, v. 354 corrigit *perstrinxere feras mentes*, quam violentam profecto medicinam dum reprehendit *Clercquius* (seu *Clericum* mavis) ipse, de more non multo proponit leniorem. Atqui locus, si quis alius sanus est, modo verborum ordo recte constituatur, qui hic videtur: *pietas & penates patrii frangunt mentes, quamquam caede feras, efferatas* (decimo enim jam anno vincebant) *Sed revocantur & ducis metu & ipso amore belli, cui jamdiu assueverant.* Sic militia efferati animi apud *Liv.* I, 19.

Eod. v. 370.

Oceani tumidas *remo* compescuit undas.

An? *freno.* infra III, 76.

—— Ut *vincula* Rheno
Oceanoque daret.

Eod. v. 547.

— Atra *Charybdis*
Sanguineum fundo torsit mare. flebile *faevi*
Latravere *canes*.

Burmannus, V. C. *sine dubio*, inquit, *intelliguntur Scyllaei canes*. Ecquid igitur caussae est, cur dissimulem, lubente me scriptum iri,

— Flebile *Scyllae*
Latravere *canes*.

II, 181.

— *Exsectaque* lingua
Palpitat.

Ita recte, credo, *Oudendorpius*, addita nota in Lectt. Varr. *exactaque Ed. Hack. Vitiose. Burmannus* tamen, ne monito quidem Lectore, *exactaque* edidit.

VIII, 560 — 618. comparasse juvabit rem eamdem narrantem, & quidem iisdem pene verbis, *Dionem Cassium* p. 187. Ed. *Leuncl.*

Claudianus conf. Olybr. & Prob. v. 117. *Marti laeto post peractum certamen, & in gramine assidenti*

Sudor adhuc per membra calet, crebroque recurrit
Halitus, *&* placidi radiant *in* casside vultus.

Forte,

— *At* placidi radiant *e* casside vultus.

In Ruf. praef. v. 5.

Jam liber Parnasus erat, nexuque soluto
Coeperat erecta surgere fronde nemus.

Concusfaeque diu fpatiofis tractibus orni
Securas ventis explicuere comas.
Et, qui viperco *fpumavit* faepe veneno,
Cephifus liquidis purior *ibat* aquis.

Concinnitas poftulare videtur, ut *fpumarat* fcribamus.

Eod. v. 266. de Stilichone refiftente Rufino,

Hic profugis fedes, adverfaque figna furori;
Servandis hic caftra bonis. *huc* ufque minatus
Haerebat, retroque fuga cedebat incrti.

Ut nunc habentur verba, ad Stilichonem necesfario videntur referenda, praefertim fi conferas praecedentia, quum tamen ad Rufinum pertinere quivis videat, & vel fequens docere posfit comparatio. Num fcripfit?

—— *Hunc*, ufque minatus,
Horrebat.

III. Conf. Honor. v. 121,

Gaudent Italiae fublimibus oppida muris
Adventu *facrata* tuo.

Licet, quidquid ad Imperatorem pertineret, *facrum* hoc aevo vocatum fuiffe, non ignorem, oppida tamen quomodo eius adventu facrentur, vix intelligo. Forte,

Adventu *referata* tuo.

Claufa prius perpetuo ab hoftibus metu. Notum illud *virgilii*, *panduntur portae*, quum *Troiani Graecos*

—— abiisfe rati, & vento petiiffe Mycenas.

Nota item *Horatii*

—— *apertis* otia *portis*,

IV. Conf. Honor. v. 67.

—— rediit meliore magistro,
Machina concentusque *poli.*

Quae machina? an?

Musica concentusque *polo.*

Eod. v. 124.

Omnibus acceptis *ultro*, te regia solum
Protulit.

Contorta admodum est *Gesneri* explicatio. *Burmannus* distinctionem ponit ante *ultro.* Mihi corrigendum videbatur, *extra* h. e. *extrinsecus*, rariore quidem, non omnino tamen inusitata vocabuli notione. sic enim, praeter *Boeth.* Conf. II. Prof. 4. p. 32, *quid igitur, mortales*, extra *petitis intra vos positam felicitatem*, sic, inquam, praeter illum loquutus *Lucret.* IV, 614.

—— Quapropter cernere nemo
Se supra potis est, at voces *accipere extra.*

Commodus apud *Herodian.* I, 5. Μόνος τε ὑμῖν ἐγὼ ἐν τοῖς βασιλείοις ἀπεκυήθην· καὶ μὴ πειρασθέντα με ἰδιωτικῶν σπαργάνων, ἅμα τῷ τῆς γαστρὸς προελθεῖν, ἡ βασίλειος ὑπεδέξατο πορφυρίς.

Nupt. Honor. & Mar. v. 47.

Risit Amor, *placidaeque* volat trans aequora matri
Nuntius.

Quis ferat languidum adeo atque otiosum epitheton? quum in promtu sit scribere *Paphiaeque*, & illud flagitare videantur sequentia.

I. In Eutrop. v. 135.

> —— Ne quid non polluat unus,
> Dux acies, judex praetoria, *tempora Consul.*

Postrema lucem dant *Zosimo* V, 17. *ἀπέκναιε γὰρ αὐτὸν* (Gainem) *οὐ τὸ παρορᾶσθαι τοσοῦτον, ὅσον Εὐτρόπιος εἰς ἀκρότατον ἥκων ἤδη δυνάμεως, ὥστε καὶ εἰς ὑπάτους ἀναῤῥηθῆναι*, ΚΑΙ ΤΩ ΧΡΟΝΩ ΦΕΡΕΣΘΑΙ ΤΟΝ ΤΟΥΤΟΥ ΠΡΟΣΗΓΟΡΙΑΝ, *καὶ τιμηθῆναι τῇ τῶν πατρικίων ἀξίᾳ.* Ubi nonnihil haesitat *Sylburgius*. res notissima. Vide, si lubet, *Claudian.* II in Eutrop. praef. v. 13 & II in Eutrop. v. 132. *Lucan.* II, 640, alios.

II. in Eutrop. praef. v. 54 *erit* omnino scribendum videtur e Cdd.

Bel. Get. v. 147.

> Et prope ter senas Itali per graminis herbas
> Massylus Poeno sonipes vastante cucurrit.
> Hannibalemque senem vix ad sua repulit arva
> Vindex sera patrum, *post* bellum nata juventus.

Bellum Punicum *primum* intelligi debere, ait *Gesnerus V. C.* Equidem *secundum* putabam, corrigendumque adeo, *per bellum.* conparabam vero *Tacit.* An. I, 3. sub finem, *Juniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique* inter bella civium nati. — & *Epigonos Macedonum* de quibus *Justin.* XXII, 4. mirifice vero hanc suspicionem meam, sive emendationem mavis, firmant Hannibalis verba apud *Polyb.* XV, 11, Ubi, ante commissum cum Scipione in Africa praelium, conspicere jubet milites adversam hostium aciem, additque, *τούτων τοὺς μὲν* ἘΚΓΟΝΟΥΣ *εἶναι, τοὺς δὲ λείψανα τῶν ἡττημένων ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ πεφευγότων αὐτὸν πλεονάκις.*

II. in Ruf. v. 285. seqq. — ad versum 290 haec notat *Gesnerus*. *Acute! arcanum fuit, quod totus populus, totus exercitus decreverat.* — Comparari merebatur *Justinus* X, 1, de decreto a quinquaginta filiis Artaxerxis parricidio, *ostenti prorsus genus, ubi in tanto populo non solum sociari, verum etiam* fieri parricidium potuit.

Laus. Ser. v. 51.

> — Primo *levat* aequore solem
> India; tu fessos exacta luce jugales
> Proluis, inque tuo respirant sidera fluctu.

Elegantius puto *levet*. *Licet India glorietur sole apud se orto* &c. usitata in talibus formula.

Eod. v. 89.

> ——— Quacunque per herbam
> Reptares, *fluxere* rosae, candentia *nasci*
> Lilia

Concinnitati consulens scribebam cum *Burmanno*,

> — *fulgere* rosae, candentia nasci
> Lilia.

Splendorem enim rosis dat R. P. II, 92. & *stellatam rosis nympham incedere*, *ait* Eod. v. 130. *fulsere* praeterea & *fluxere* confusa apud *Sil. Ital.* II, 131. sed similis negligentia observatur R. P. III, 261.

> Ceu nondum transacta *timet*: mox lumina torquens
> Vultu ad coelicolas furiato pectore *ferri.*

Ubi tamen e libris quibusdam reponi posset *fertur*, ut

Barth. edidit. nec locus plane fimilis. Quid vero faciemus *Statio* VII. Th. 65?

> —— *Tremit* ecce folum, & *mugire refractis*
> Corniger Hebrus *aquis.* tunc, quod pecus utile bellis
> Vallem infeftabat, trepidas *fpumare* per herbas;
> Signa adventantis, claufaeque adamante perenni
> *Disfiluere* fores.

(quo in loco corrigendi quis cupidus *retortis aquis* posset reponere ex *Horatio* Od. I, 2, 13, quamquam & vulgata bene habet) quid, inquam, faciemus illis?

Epigr. XXXIV. Ed. *Barth.* v. 5.

> Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis,
> Turbidus Argea feu nive lavit Halys;
> Sanguineo virides morfu verfare fmaragdos,
> Et Tyrio *dignum* terga rubere croco.

An? *dignus, quocumque genere, quacunque terra ortus, dignus certe eft hoc ornatu, eft enim pulcherrimus.* v. Seqq.

Ep. XLVII. 9. *Sentit* fcribendum effe, ex eo patet, quod ubique praefenti utitur Auctor epigrammatis.

Laud. Herc. v. 10.

> Alcides mihi carmen erit, non vana Tonantis
> Progenies, dignus credi poft *vifcera* numen.

Gefnerus vifcera nativitatem exponit & *uterum. Burm.* corrigit *funera.* Conjeceram *ulcera.* Aefculapius apud *Lucian.* Dial. Myth. 5. ad Herculem. εὖ λέγεις, ὅτι σοῦ τὰ ἙΓΚΑΥΜΑΤΑ ἰασάμην, ὅτε πρώην ἀνῆλθες ἡμίφλεκτος, ὑπ' ἀμφοῖν διεφθαρμένος τῷ σώματι, τοῦ χιτῶνος καὶ

μετὰ τοῦτο τῆς πυρός. —— Aliud tamen fors latet. —— *viscera nativitatem, partumque & uterum* etiam interpretari video Cl. *Wernsdorf.* in nupera Ed. Poetarum minorum.

Ad *Silium* antequam accedamus, verbo videtur dicendum de nupera eius Editione *Parisina*, quam, notis Criticis ornatam, curavit *Le Febure de Villebrune*, vir Doctisfimus. Illam quum his diebus perlustrandam mihi concesfisset Cl. *Wyttenbachii* humanitas, haud mediocris, a lecta statim praefatione, cepit animum admiratio, quum Commentatores Poetae clarisfimos, quos suspicere solemus Belgae, venerarique ut perfecti Critici exempla, *stuporis* & *inscitiae* viderem accusatos. Illic enim haec reperiuntur. *quid jam de hoc ultimo sentiam* (*Drakenborchio* videlicet) *fortasfis exspectas. De eo tantum non dicam, quod de Barthio jure pronuntiare ausim: Saepe nimis, nimiusque ostendit,*

Ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις ἄν μὴ νοῦς παρῇ.

Idque luculenter de Drakenborchio probatum in meis, brevioribus licet pro desiderio, notis, conspicies. N. Heinsium non raro veluti sacrum inter & saxum haerentem, ubi nulla dubitandi ratio, miratus sum; cassam eruditionem largiori manu fundentem, sibique fucum facientem, & fumum aliis venditantem fastidivi: verum Drakenborchium tot auxiliis ornatum, ac duce suo praeceptore, insigni P. Burmanno, non secus ac andabata, εἰς ἀέρα πυκτεύοντα, minusque subactae eruditonis mole fatiscentem, plerumque stupui: stupui, inquam, quum praelargis spoliis N. Heinsii onustus, blanda nimis sed falsa specie aut spe frugis actus nec ipse suum nec alterius agrum coleret; vepribusque & sentibus quibus horrebat relictis, frugiferos ramos cum

emacrantibus flolis amputaret, *aut*, *veri vanus*, *fine ulla prudentia laederet*, *novisque pullularet erroribus. Sed indignationem donemus juniori Drakenborchio*, *qui*, *tanto oneri tunc impar*, *multa tamen praestitit*; *ac quanta in Silio exigenda relinqueret*, *non videtur ignorasse. Praeterea*

Nimium boni est cui nihil est mali,

Aiebat Ennius. &c. —— Nec mitiora habent Notae, in quibus passim, *absurdi*, *inepti &c.* vocantur, *muscasque & vana captasse* dicuntur Viri Maximi. Vin specimina? ecce parvum ex magna messe specilegium; caetera aliis, quibus maius, quam mihi, suppetit otium, excutienda lubens relinquo.

I, 194 Accusatur *Drakenborch.*, qui *torretur* (quod verum esse, nemo, opinor, praeter *Feburium* non fatebitur,) receperit *fine auctore* (ipse tamen editor Cl. non priscum illum, sed *suum* nobis dedit *Silium*) ac defenditur *torquetur*, idque *Virgilii* ac *Ciceronis* locis, quorum illi *Atlas* dicatur *torquere axem humeris*, huic *terra torquere se circum axem.* quasi de hoc loquendi genere quisquam dubitaret, aut ideo verius esset hoc loco *τὸ torquetur.*

I, 355. *fumat* bene scribitur, praeeunte *N. Heinsio.* quare vero non intellexisse arguitur *Drakenb.*, qui nihil ad hunc versum notavit? an? quod *fumant* edidit sequutus fidem Codicum?

I, 568 Non intellexisse dicitur *Drakenb.* qui pulchre illustrat.

I. 660. Erroris accusatur *Modius*, qui Zanclen eamdem dixerit ac Messanam. Non malis tamen Auctoribus *erravit* Vir optimus. V. Intpp. ad *Steph. Byz.* & quos non?

II, 189. *Destringi* dedit Cl. Editor, interpretatus

artisſime ſtringi, *premi*, pesſimam vocans vulgatam, quam nemo noſtrum non unice veram agnoverit.

II, 206. probatur *ſerus fati* e R. 2. mire profecto!

II, 299. Adſcribitur *Drakenborchio*, *haud nunc ille*, quae *Heinſii* eſt correctio.

II, 317. Accuſatur *Drakenb.* quod male perſpexerit *Neritias domos*. Atqui, aliis licet verbis, eamdem habet interpretationem, quam Cl. Editor.

II, 345. Ad hunc verſum abſurdisſimus audit *Drakenb.*, qui VIII, 312. e Cdd. & conjectura *Heinſii* dederit,

Quantum hoſti victus, tu non, quae copia rerum.

Ipſe edidit,

Ritus hoſtis; tum vero quae copia rerum.

Eleganter! nec minus XVII, 295. ubi ſic ſcribitur,

Tu mihi Flaminii portas te in ovantia caeſi.

II, 392. *Accifis*, quod *Feburius*, edidit, diſplicebat *Burmanno*, quia nusquam *accifi* reperiuntur *populi*, ſed *robur*, *res* &c. Cur igitur probatam ſibi lectionem non idoneo exemplo firmavit potius, quam *praecipitem nimis* vocaret *Burmannum?*

II, 459. *Vani* ſcribitur, ut ſint, *qui diu fuerant decepti*, *qui fruſtra ſpectaverant* (aliud enim ſignificare ea vox hoc loco vix poterit) eaque notio probatur illo *Virgilii*, *aut ego veri vana ferar!*

II, 467. *Nervis* ſcribitur pro *venis*, nullo licet addicente Codice, ſed hoc de conſueto more. Est vero quod miremur, *rudem* adeo dici *Drakenb.* ut neſcierit, *nervos eſſe tendines & ligamenta membrorum.*

II, 481. Explicari mihi cupio, quis fit *polus forte remotus*, quidque mox v. 531. *palmam tendens* ubi rejicitur probabilis admodum *N. Heinfii* correctio, & *palma oftendens.*

II, 647. *Revocabat funera mater*, feu *impedire voce fua conabatur*, errans licet in filiorum nominibus. quorfum ergo *τὸ renovabat.*

II, 661.

Arx intacta prius bellis: *hinc* Punica caftra,
Litoraque, & totam *folita infpectare* Saguntum.

Ita Editor;

fed & vulgata *foliti fpectare* bene fe habere conferi potest, *foliti* nempe *Saguntini hinc ex arce.* Caeterum expresfus est locus e *Virgilio* Aen. II, 260. feqq.

IV, 740. Objurgatur *Drakenb.* quod ediderit *laetam*, quum nihil tamen varietatis notetur e Cdd. Ipfe dedit *laetus.*

IV, 807. Rejicitur optima *Heinfii* correctio, firmaturque vulgata eo, quod *compos* ita occurrat infra XVII, 225. Atqui illic *mentis* praecesferat.

V, 68. Non haeret *Drakenb.* fed prodigium hoc, nemini memoratum, a *Silio* ait additum *licentia poëtica*, ut rem augeret in maius, atque adeo idem dicit, quod Cl. Editor.

V, 188. *Heinfio* tribuuntur, quae pleraque funt *Drakenborghii.*

V, 251. *Vulnere* corrigit *Heinfius*, probatque *Drakenb.* exemplis appofitis. Illud tamen *fine fenfu esfe*, *ineptire Heinf.* & *male agere Drakenb.* dicitur.

V, 284. *Ore citato* idem esfe ait Editor, quod fublimi

bimi anhelitu apud *Horatium! putideque* offerre *Barthium* & probare *Drakenb. orbe.*

VII, 153 *discingere* Latinum esse, nemo negaverit, notione videlicet propria, *cingulum solvendi*, seu *recingendi*; sed *discingere dolos* pro *resolvere* cadentis Latinitatis esse notaverant *Barth.* & *Drakenb.* quorum ille tamen *ignarus* audit, hic *absurdissimus.* —— Nihil igitur huc facit allatus ab Editore Ciceronis locus.

VII, 184 *delirare prope* dicuntur & *Heins.* & *Drakenb.* quod *decerpsit* voluerint!

VII, 421 *Abruptum antrum* exponitur *imum*, ut rejiciatur pulchra *Heinsii* correctio, *despectat* scribentis, & *absurdus* audiat *Drakenb.*

VIII, 336 locus adhuc impervius dicitur Editoribus, jubeturque probare *Drakenb. noctis* posse dici pro *nocte*, alioquin non intelligi poetam, si tamen vel sic intelligatur.

Et haec quidem speciminis loco sufficiant; non alia de causa a me prolata hic loci, nisi ut viderent Nostrates, quibus omnibus fors nondum innotuit hic Cl. *Feburii* castigando *Silio* impensus labor, quas ob rationes tam male de *Heinsio*, *Drakenborgchioque* & aliis (quos *Silli* sospitatores vocare consueveramus) opinetur Vir Doctissimus. Non igitur, ut reprehenderem hanc *Feburii* operam, neque ut detrahendo de aliena gloria mihi famam captarem; quo nihil indignum magis censeo homine his *Humanitatis* studiis dedito. Quid porro de Editione hac censeam, rogas? gratus agnoscerem Cl. Editoris beno de *Silio* merendi voluntatem, utcumque cessisset (judicem enim agere nunc quidem non lubet) modo liberalius paullo fuissent habiti Viri, adhuc sine controversia, maximi. Egregie Socrates apud *Platonem*

in Minoe p. 136. T. VI. Ed. *Bipont.* πάνυ πολλήν χρὴ προμήθειαν ποιεῖσθαι ἀεὶ, ὅταν μέλλῃς ἄνδρα ψέξαι ἢ ἐπαινέσαι, μὴ οὐκ ὀρθῶς εἴπῃς. Τούτου καὶ ἕνεκα χρὴ μανθάνειν διαγιγνώσκειν χρηστοὺς καὶ πονηροὺς ἄνδρας. —— πάντων γὰρ ἱερώτατόν ἐστιν ἄνθρωπος ἀγαθός. „ *Vanae enim* (ut ipsis Cl. *Feburii* verbis utar) *proficiunt scientiae, quae hominem ab homine distrahunt, peioremque reddiderunt, quem doctiorem commendarunt.*

At bene non poterat sine puro pectore vivi,

Dixerat elegantiarum pater Lucretius." Quibus nihil addo, nisi haec *Voltairii*, *Lettre ac Pere Porée, Jesuite*, Oeuv. T. VII p. 7.

Les Muses, filles du ciel,
Sont des soeurs sans jalousie;
Elles vivent d'ambrosie,
Et non d'absinthe, & de fiel;
Et quand Jupiter appelle
Leur assemblée immortelle
Aux fêtes, qu'il donne aux Dieux,
Il defend, que la Satyre
Trouble les sons de leur lyre
Par ses sons audacieux.

Nunc pauculas in *Silium* proponamus Observationes.

II, 625.

Nec tamen evasisse detur; nam verbera Erinnys
Incutit, atque atros insibilat *ore timores.*

Tumores ex *N. Heinsii* emendatione receptum *Drakenborchio*; antea *timores* legebatur. *Tumorem* de *ira* dici notissimum, ut & *tumere* de *irato*, unde verissima vi-

detur *Bentleii* emendatio apud *Horat.* A. P. v. 197. *atrum* tamen *timorem* potius, quam *iram* dixerim. an scripsit?

—— Atque atros insibilat *aure timores.*

Aure & *ore* confusa V. apud *Prop.* I, 1, 31, ubi *aure pavere* ex *Statio* adfert *Burmannus.* — *pavor occupat aures* Val. Fl. IV, 664, quod mutatum nolim; in magno enim pavore & terrore,

Arrectisque horrore comis,

βομβεῦσιν ἄκοαι, *tintinant aures*, ut Sappho ait. —— Sed ne sic quidem perplacet hic *Silii* locus. Cum *Drakenborchio* facere *Feburium* video.

II, 73.

Quales Threiciae Rhodopen, Pangaeaque lustrant
Saxosis nemora alta jugis, cursuque fatigant
Hebrum innupta manus.

Hebrum tuetur novissimus Editor, intelligens *glacie correptum.* Mihi nihil certius videtur *Burmanni* correctione *Haemum* scribentis, cui pondus addit frequens vocum commutatio, de qua V. *Burman. Sec.* ad *Propert.* I, 6, 3. — Conferre vulgo solent *Virg.* A. XI, 660, ubi, ut hoc addam obiter, qui profertur ab *Heynio*, *Claudiani* locus illustrandus videtur ex *Herodiano* VI, 7.

VI, 32.

—— Labentia membra
Prostravit super, atque *injecta morte* tegebat.

Bene facit, quod hanc lectionem tuetur nuperus Editor, *mortem* accipiens pro *cadavere*. Sic *Stat.* IX Th. 29. & *Prop.* II, 10, 22, ubi V. *Broukh.* Nec diversa ratione *funus* frequenter accipiendum, *Stat.* Achil. I, 88. conf *Serv.* ad Aen 17, 539 & *Oudend.* ad *Sueton.* Domit. 15. unde non refragabor admodum, si quis apud *Sil.* v, 454 vexato non nihil loco, *funere* dicat scribendum. *Exequias* eadem notione habet *Stat.* S. III, 5, 52 ubi V. *Markl.* & *manes* Th. VIII, 73 ubi Conf. *Barth.* quod imitari non est veritus egregius poeta *Wallius* Ep. III, 4, 41. *funeris umbras* habes apud *Virgil.* Aen. VI, 570 & *manes* pro *cinere* apud *Prop.* II, 10, 32 ubi V. *Burm.* — Neque obstat, quod de nondum mortuo *Silius* loquatur, sic enim *Stat.* Th. VII, 768. Caeterum haud dissimili modo Atilium Verum, primipili centurionem, aquilam servasse morientem scribit *Tacit.* III Hist. 22.

VII, 299.

Et sonipes strato *carpebat* gramina tergo.

Hoc qui fieri possit, vix video. an? *curvabat.* Eadem videlicet imagine, qua *frangi* dicuntur *tori graminei* *Auson.* Epist. II, 15. V. *Gronov.* Diatr. ad *Stat.* S. II, 1. p. 91. & in Add. p. 404. & *Heins.* ad *Claud.* Laud. S. v. 92. robur addit *Ovid.* Heroid. XV, 148.

De nostro *curvum* pondere *gramen* erat.

Alias *premere* hac in re usitatum. V. *Burman.* ad *Propert.* II, 22, 35.

Eod. v. 508.

> Clausurum jam castra ducem, rursusque referri
> Vaginae jussurum enses; reddatur *in armis*
> Ut ratio, & purget miles, quod vicerit hostem.

Puto,

> ——— reddatur *inermi*
> Ut ratio, & purget miles, quod vicerit hostem.

Apposite *Zosimus* IV, 40, haud procul a fine, *Συναρπάζει τε τὸν Γερόντιον παραχρῆμα, καὶ* ΛΟ'ΓΟΝ ΤΗ͂Σ ὙΠΕ'Ρ ΡΩΜΑΙ'ΩΝ 'ΑΡΙΣΤΕΙ'ΑΣ 'ΑΠΗ'ΤΕΙ.

Eod. v. 746.

> —— Mille hinc (venerabile visu)
> Cespite de viridi surgunt *properantius* arae.

An? *properantibus.*

VIII, 246. *at* pro *&* bene, opinor, scriptum in Editione nupera. an & praeterea *immodicum* scribendum?

Eod. v. 634.

> Quaesivit Calaber, subducta luce repente.
> *Immensis* tenebris, & terram & litora Sipus.

Dudum Cl. *Schradero* probavi correctionem meam, *immersus*. Nunc video sic editum in *Parisina*. V. *Virgil.* Aen. VI, 267 aliaque a Cl. *Feburio* allata loca, ac confer *Markland.* ad *Stat. S.* p. 329. ubi *τὸ mersum caligine* pulchre restituit *Papinio*.

X, 330.

Sed mens invigilat curis, *noctisque* quietem
Ferre nequit, stimulat, dona inter tanta Deorum,
Hortatus nondum portas intrasse Quirini.

Primo versu non absurda forsan conjectura scribetur,

Sed mens invigilat curis: *Nox ipsa* quietem
Ferre nequit.

Adferre anxiae menti. vs. tertio variae sunt Doctorum hallucinationes. Nuperus Editor scribit,

Hortatur *nudi* portas intrasse Quirini.

Ac *nudum Quirinum* exponit auxiliis destitutum ac defensoribus, quod vereor equidem, ut eruditis probetur. Mihi olim placebat, *optatas — portas*; nunc vero longe longeque praefero magni *Bentleii* correctionem, quam (ut aliquando me monebat Cl. *Schraderus*) proposuit ad *Manil.* V, 141.

—— Stimulat, dona inter tanta Deorum,
Corda pudor, nondum &c.

X, 421.

Dux erat exilio collectis Marte Metellus,
Sed stirpe *haud parvi* cognominis.

Attendenti corruptus, credo, videbitur locus. an olim fuit?

Sed *stirpis dispar* cognominis.

Ut pro *dispar*, *haud par* Glossator scripserit, atque is fuerit fons erroris. In Metellum passim invehitur

Silius. conf. XII, 304 feqq. — *Stirpis cognominis* ut *cognomine terra Virgil.* Aen. VI, 383.

XII, 179.

— Jam clauftra revellere Poeni,
Et fcalis *fpretos tentabant rumpere* muros.

Nuperus Editor fcribit, *tentare irrumpere;* dubito, an necesfario. V. quae fupra notavimus ad *Claudian.* Laud. Ser. v. 89. — Deinde vero vix video, quo modo *fcalis rumpantur muri*, mihique adeo poftulare videtur fententia, ut corrigamus *fcalis fpretis.* Eodem modo peccatum infra v. 220.

Mallet & *Aonio plectro* mulcere labores.

Ubi *Aonios* pesfime non nulli. — Verfus, fateor, duriufculus; fed non delicatis adeo auribus eft *Silius*, ut fimilia fugiat. L. XVII, 645 habes,

— Hannibalis campis fugientis imago.

Et alibi huius generis alia. Eamdem fibili repetitionem in verfibus aliquot *Statii* & *Valerii Flacci* notavit *Markland.* ad *Stat. S.* p. 30. conf. *Bentl.* ad *Horat.* II. Od. 14, 27, qui monet, ne optimos quidem Scriptores vitasfe iftius modi ὁμοιοτέλευτα, praecipue ubi, & fi non litteris, pronuntiatione tamen vocabula differant, ut in *Horatii* loco,

Jam fatis terris nivis atque dirae
Grandinis.

Adde notata in Obfs. Mifc. V. VIII p. 182.

XIII, 828.

Illa eft quae Thybrim, quae fregit Lydia bella,

Nondum passa marem, qualesque *optabat* habere
Quondam Roma viros, cont emtrix Cloelia sexûs.

Quo tempore ante Punica bella istius animi viros Roma desideraverit, ignoro equidem. quare aut fallor egregie, aut futuri temporis mollitiem tangit Sibylla, scripsitque adeo *Silius*,

——— Qualesque *optabit* habere
Quondam Roma viros,

XV, 279.

Femineo *Socium* violarunt foedus amore.

Ita in Ed. *Drakenb.* imposita lunula *Sociorum*, puto, notabit. plane perperam, quum *Socium foedus* sit *maritale* sivi *conjugii*, qua in re proprium esse τὸ *Socius*, nemo mihi docendus. nec monuissem, nisi fideliter expressum viderem hunc errorem in Ed. nupera.

XVII, 109.

E somno ac stratis rapuisset multa *precantem*.

Precantem vix concoquit *Barthius*. conjicio *paventem*; nisi vulgatam defendere dicas *Virg.* Aen. XI, 297.



INDEX SCRIPTORUM

QUORUM LOCA IN CRITICIS HIS NOTIS TENTANTUR, VINDICANTURVE, AUT ILLUSTRANTUR.

Silius Italicus.

Statius.

Tibullus.

Valerius Flaccus.

Virgilius.

Xenophon.



A D D E N D A.

p. 59. poſt & Suppl v. 171. Sic *adulteros* Paridis *crines Horatius* vocat Od. I, 15, 19. —— Tetigit haec Erud. *Struchtmeyer* Anim. Crit. p. 101.

p. 61. poſt vel potius τόνδε γ'ὢ θέλειν. Caeterum haec reſpiciebat egregius Veterum imitator *Racinius*, quem cum *Euripide*, identidem comparare ſolebat magnus *Valckenarius*, Iphig. I, 1.

Le jeune Achille enfin vanté par tant d'Oracles,
Achille à qui le ciel promet tant de miracles,
Recherche votre fille, & d'un Hymen ſi beau
Veut dans Troye embraſée allumer le flambeau.

& infra eadem ſcena

Mais des bras d'une mere, &c.

Quam pulchre, ut hoc addam, idem *Racinius* in ſuam rem vertit illa *Homeri* Il. A, 152. ſeqq.

Οὐ γὰρ ἐγὼ τρώων. κ. τ. λ.

Et que m'a fait à moi cette Troye ou je cours?
Au pied de ſes remparts quel intérêt m'appelle? &c.
Jamais vaiſſeaux partis des rives du Scamandre
Aux champs Theſſaliens oſerent ils deſcendre?
Et jamais dans Lariſſe un lâche raviſſeur
Me vint il enlever ou ma femme ou ma ſœur?
Je n'y vais que pour vous, Barbare que vous êtes, &c.

Ead. p. poſt πυλῶν ad *Eurip.* Hippol. v. 56. —— Sed en tibi certiſſimum huic correctioni fulcrum ejusdem *Euripidis* locum Hippol. v. 1447.

Ὄλωλα καὶ δὴ νερτέρων ὁρῶ πύλας.

Conf. illic *Valcken.*

ADDENDA.

p. 66. post *Apollonii* locum adde *Terent.* Andr. I, 1, 108 & 109. *Homer.* Il. Ψ, 97. seq. & Odyss. λ, 210. —— *ἐπὶ τίνι κλαίειν* hoc vocant οἱ Ο΄ Genes. 45, 14, 15. & 46, 29.

p. 73. post *Luciani* locum. Bene vero Adolescens ille apud *Xenophontem* K. Π. V, 1, 7. Ἀλλὰ τὰ μοχθηρὰ ἀνθρώπια πάντα, οἶμαι, ἐπιθυμιῶν ἀκρατῆ ἐστι, κἄπειτα ἔρωτα αἰτιῶνται·

p. 74. post conf. *Burm.* ad *Prop.* I, 6, 29. —— & Intpp. ad *Sil. Ital.* III, 335.

p. 75. post *docens.* conf. *D'Orvill.* in Epil. Van. Crit. p. 644.

p. 84. *in luctu caput tegebant.* Adde, sis, *Euripid. Hippol.* v. 243. seqq. *Lucretiam Ovidianam* Fast. II, 819. & *Juturnam Virgilii* Aen. XII, 885. Conf. quae nuper admodum dedit Cl. *Jacobs* in Epist. Crit. ad *Heynium* p. 77. qui elegantem hinc conjecturam proponit in *Petronii* carmine de B. C. vs. 250, in *galeae* locum *pallam* substituens. Haec autem quum ita sint, ecquid caussae est, quo impediamur assentiri magno *Salmasio* de Foen. Trapez. p. 272, aliisque multis *Marci Euangelistae* de *Petro* dictum 14, 72. καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, de hoc ipso ritu exponentibus?

p. 87. post *Euripidis* locum. *Plato* de Rep. X. p. 307. T. VII. Ed. *Bipont.* τρέφει γὰρ ταῦτα ἄρδουσα, δέον αὐχμεῖν· Conf. omnino *Valck.* ad *Eurip.* Hippol. v. 87. ubi hoc ipso *Calpurnii* loco utitur.

p. 89. ad *Horatii* locum. Tueri quoque vulgatum video Cl. *Janum* ex eadem Observatione de permutatis sensuum verbis; confer igitur laudatos ab Eo (ad III. Od. 10, 5. seqq. ubi itidem mutandum quid negat) *Klotz.* Lect. Venus. p. 308. *Drakenb.* ad *Silium* VI, 179. & *Schrader.* ad *Mus.* vs. 5. p. 5.

ADDENDA

p. 90. post *scribatur*. Neque abhorrent ab hoc more οἱ Ο'. V. Exod. 20, 18 & 22.

p. 91. *Heinsii* correctionem *suspicientis* rejicit etiam *Cuninghamus*.

Ead. p. *Multa merces*. Sed conatum reprimit Cl. *Janus*, prolato Augusti dicto ad Athenodorum apud *Plutarchum* T. II. p. 207. ἔστι καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.

p. 94. *levat recte e Cdd. revocavit Bentleius*, & post illum *Cuninghamus*.

Ead. p. *patrare bellum*: conf. Intpp. ad *Quintil.* I. O. VIII, 3. p. 695.

p. 101. post *Aristoph.* Ran. v. 716. Neque ignoravit hanc elegantiam *Feithius* nostras, vir politissimus, qui ita *Thyrsa* Ac. IV. sc. 2.

Maar hoe geducht de Zee ook sloeg van myn ellend.

quo pertinet illud *Euripidis* Hippol. v. 822.

Κακῶν δ' ὁ τάλας πέλαγος εἰσορῶ.

V. *Stanleius* ad *Aeschyli* Prometh. v. 745. & *Klotz.* l. l. p. 124. Libenter enim Scriptores prisci in describenda hominum vita utebantur imaginibus a vento & mari petitis, quam in rem docta nuper dedit Cl. *Jacobs* in laudata Epistola p. 12. — Notae sunt *Sidronii Hosschii*, quae huc pertinent, Elegiae. — Conf. *Valcken.* ad Eurip. Hippol. v. 315.

p. 105. post *Achillis Tatii* locum. *Homeri* verba, unde uterque sua hausit, Il. Δ, 141, indicavit *Heinsius* ad *Claudianum* R. P. I, 274.

Ead p. post *ἀεί*. Pertinet huc illud *Alexidis* de ira muliebri apud *Athenaeum* XII, 1. p. 558.

Ἡ τῶν γὰρ ἀνδρῶν ἐστὶ πρὸς κείνην μέλι.

Quo usus *Falsterus* in Amoen. Philolog. c. 15.

ADDENDA.

p. 105. *Φράζω δή*. Nisi potius, *Φράζεο δὴ μεῦ μῦθον*: Quemadmodum *Κέκλυτέ μευ μύθων*, apud *Homerum* Od. N, 271 & alibi.

p. 108. *Lumen* pro *oculo* ponere nec *Virgilius* est veritus Aen. VIII, 153.

p. 122. *Thetin* pro *mari* etiam *Martialis* V, 1 & X, 30, 11. Idem bene *Tethyn* X, 41, 2. — De *Pindari*, quem vocant, *Thebani* loco vs. 82. exspectabimus sententiam Cl. *van Kooten*.

p. 126. an? *cecidisti*. Sed forte corrigendi impetum reprimat *Ovid*. M. IX, 781. seqq.

p. 127. post *Cuningh. A. i. H. B.* p. 125. ac *Trapp.* Praelect. Poet. IV. p. 50

p. 128. *Obnixae acies*. V. *Livium* VIII, 38, 11.

p. 121. ad *Stat.* Th. VIII, 510. Conf. omnino *Homerum* Il. Θ. 362. seq. quo respexisse videri potest Poëta.

p. 130. *finire* & *finiri*, *mori*. V. *Barth.* Adv. XLIV, 20.

p. 136. *reserata oppida*. Scholiastes *Statii* ad illa Th. I. vs. 385.

——. Tandemque reclusis
Infertur portis.

Signum est, inquit, *pacificae civitatis*.

p. 138. *per bellum nata juventus*. Adde, sis, *Livium* VI, 33, initio.

p. 148. *quam Cl. Editor*; nisi quod *Neriton* insulam non montem memorat.

p. 148. *curvum gramen*. Nec multum abit *curvata arbor pondere*, & *curvi pondere rami* apud *Ovid*. M. III, 93. & R. A. vs. 157.